DE PARNASSO ORATORIANO

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITERARUM PARISIENSI

PAULUS LALLEMAND

ORATORII PRESBYTER
ET
IN ORDINE GRAMMATICES AGGREGATUS.

LUTETIAE PARISIORUM
APUD ERNEST THORIN, EDITOREM
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

—

MDCCCLXXXVIII

DE
PARNASSO ORATORIANO

IMPRIMERIE GÉNÉRALE DE CHATILLON-SUR-SEINE. — A. PICHAT.

DE PARNASSO ORATORIANO

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITERARUM PARISIENSI

Paulus LALLEMAND

ORATORII PRESBYTER
ET
IN ORDINE GRAMMATICES AGGREGATUS.

LUTETIAE PARISIORUM
APUD ERNEST THORIN, EDITOREM
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXVIII

CAROLO · THVROT

ET

EVGENIO · BENOIST

V·V·C·C

ACADEMIAE · INSCRIPTIONVM

SODALIBVS

BONARVM · LITERARVM

LVMINIBVS

MAGISTRIS · DESIDERATISSIMIS

PATRONIS

OB · EXIMIAM · BENEVOLENTIAM

PAVLVS · LALLEMAND

D · D

DE

PARNASSO ORATORIANO

PROŒMIUM

Opus non novum aggredior, cum mihi in animo est, testibus suis poetis, rem poeticam quae ad Gallicanum Oratorium pertinet, explorare. Exstiterunt sane, ante me, viri [1], iique non indocti, qui in pluribus libellis inquisiverint qua arte versus latini, hic et illic, regnante Ludovico quarto decimo, in Gallia viguerint.

Veniam tamen mihi concessum iri spero, si, postquàm auctores illos — quibus quadam parte invideo, — sum imitatus, artificium quod in arte poetica eaque latina, praesertim apud Oratorianos, restituo. Qua inquisita et reperta, tanquam ex certis indolis signis, quid senserint proavi nostri, quid egerint, forsan apparebit. Quicumque in literarum gallicarum cognitione subtiliter versantur, de nostrae gentis ingenio, quale tunc temporis sese habuerit, tanquam ex minimis indiciis, iis testimoniis, quae referam, intelligent.

In publicum igitur fero nec reconditam, nec ingentem materiam. Exigua sunt argumenta quae ex Oratorianorum poetarum scriptis, velut e thesauro ignoto, defodiuntur. Quanquam

1. Vissac : *De la Poésie latine en France au siècle de Louis XIV*. In-8, Paris 1862. — Gazier : *De Santolii Victorini sacris hymnis*. In-8, Paris, 1875.

parva, hominibus tamen observandis et noscendis deserviunt. Nonne veriores nunc de humana vita notiones a quolibet fonte repetitas habere avemus? Nonne qualibet e re indicia postulantur quibus mores et sensus hominum colligantur?

Conscius mihi sum, nihil me scientem dereliquisse quod ad bene *Parnassi Oratoriani* effigiem fingendam attineat, quodque idcirco, quae mea est virtus, ad animi imaginem pingendam valeat, qua, Ludovico tertio decimo, nec non Ludovico quarto decimo regnantibus, hominum mores fidelius reddantur.

Hunc ordinem in rebus disponendis sequar : de diversis poeseos generibus eloquar, in quibus praestiterunt Oratoriani patres, quorum tunc vitam, ex Oratorianis annalibus exprompttam, narrabo; sicque inchoatam disputationem, et in tres partes divisam, absolvam :

1° *De poetis qui in translationibus floruerunt*;

2° *De carminum quae ad historiam gallicam spectant auctoribus*;

3° *De vatibus qui res historicas ad Oratorium ipsum pertinentes scripserunt.*

CAPUT PRIMUM.

DE POETIS QUI IN TRANSLATIONIBUS FLORUERUNT.

Plerique poetarum qui illo tempore floruerunt in Jesuitis annumerari debent. Permulti apud eos pene sunt vates, tum in Gallia, tum in Germania, tum in Italia et Hispania, et in scholis et extra scholas, qui carmina condiderunt. Quanquam vitae ascripti operosae, viri illi Musarum studio delectabantur. Qui quidem latina urbanitate limati, omnis eruditionis atque humanitatis participes, et in excogitando faciles, cum poetis veteribus, de formae elegantia et poetico ingenio, certare conati sunt. Sermonis patrii eos taedebat, qui nondum tam firmus aut gravis iis esse videbatur, ut literas in posterum duraturas perferret.

Commercio illo poetico minus usi sunt Oratoriani, quibus, ante omnia, gallica lingua, praesertim in scholasticis rebus, arridebat. Constat tamen latinam poesim a quibusdam ex iis, inde a Ludovici tertii decimi aetate, esse excultam. Ex quo tempore Oratorianae scholae, cum numero, tum discipulis, in Gallia latius florere coeperunt, factum est etiam ut studium linguae latinae, ideoque et versuum, certo vulgaretur usu, et é necessaria institutione, pueri sermonis latini disciplina erudirentur.

Non omnibus ideo tamen scholis quibus praefuerunt Oratorii presbyteri, semper idem permansit amor ille, quo versus latinos prosequebantur. Patroni ac vindices hujus exercitationis acres fuere imprimis qui, Trecis, in Campania, Cenomanis,

Nannetis, in Britannia, Vindocini, in Aurelianensi dioecesi, literas docuere; quippe qui vitam scholasticam vanam esse censerent, nisi latinam poesim exercerent. Si quid publici commodi laetitiam civilem afferebat, si qua privati gaudii causa, vel in civitatem, vel in provinciam, vel in collegium importabatur, tunc se observantiae legum et procerum reverentiae arbitrabantur inservire, cum animorum alacritatem carminum venustate vestirent.

Explicandum est nunc de poetis nostris qui latinum sermonem in versibus usurparunt. Parvus quidem exstat numerus poematum typis mandatorum, quae, quantam vim habeant elaborati nostrorum versus, ostendunt. Si ad quadraginta fere numero definias quotquot, in Oratorio, versus scripserunt, totum jam album impleveris. Nec facile est primum dictu qua de causa magistri Oratoriani carmina in latino sermone condenda, aut, ea composita, typis mandanda minus curârint.

Haec scilicet mens illis erat, ni fallor, ut Christi sacerdotes istius modi ludicra parum decerent et, viris sacris initiati Deique ministerio fungentes, poetica opuscula, tanquam seria, haud tractare deberent.

Non supervacaneum autem esse videtur talem poetarum Oratorianorum indicem proferre, qualem, teste Patre Adry, et exeunte octavo decimo post Christum natum seculo, e codice quodam manuscripto, expromam [1]. Hanc seriem, non ex temporibus explicatis, sed ex praefixo ordine, prodere mihi liceat. Sic legitur : *Catalogus carminum quae lusere varii è Congregatione Oratorii Jesu poetae latini* :

H. Delphatius, — *Joannes Bahier*, — *Guillelmus Marcel*, — *Urbanus Moirin*, — *Marcus Toutblanc*, — *Thomas Beihocus*, — *Petrus Berthault*, — *Petrus Tissartus*, — *Joannes Baptista Giraud*, — *Petrus-Joseph du Vachet*, — *Joannes Franciscus Voisin*, — *Nicolaus Augustus Tixier*, — *Joseph Parisot*, — *Leonardus Ferry*, — *Jacobus Poussin*, — *Jacobus Le Bault*, — *Carolus Faber*, — *Petrus Florus*, — *Anetius Chabrol*, — *Se-*

1. *Archives Nationales* : Mm. 624.

bastianus Rainsant, — *Renatus Bosse*, — *Jacobus Moireau*, — *Modestus Vinotus*, — *Claudius Lion*, — *Nicolaus Bourbon*, — *Philibertus Boillot*, — *Andreas de Clercq*, — *Blasius Chaduc*, — *Adrianus Laubigeois*; — quibus addas, precor, inter recentiores, Patrem *Viel*.

Nominum illorum majestas, quae plus minusve pollebat, paulatim ad vilitatem pervenit. Nec me fallit, cum studiose materiam meam tractare coepissem, quam jejunam et humilem esse illam senserim.

Quod si ex illis vatibus quosdam elegeris, nonnullos tamen approbes, qui, et sententiis concinnis, argutoque verborum ambitu, necnon subtili et eximia versuum arte, valeant: quosdam certe laudes, ob magnitudinem simul et utilitatem rerum, quas poetico modo tractaverunt.

Inter primos numerandi qui auctores gallicos in latinum sermonem transtulerunt, Fontanium scilicet, Bolaeum et Fenelonem.

Si quis interroget cur scholarum magistri nostrates in sermonem latinum vertendos aggressi sint, compertum habeat in versionibus, ut dictum est vulgo, maximum impendi laborem, ex quo judicium acrius et tenuior excogitandi ratio, et denique τὸ *sapere* subtilius et limatius evadant.

Cuilibet his in rebus sese exercenti, accrescit ingenii vis, qua sibi argute dicta proferre, et cum latine, tum gallice loquenti, accurata diligentique elegantia gaudere licet. Etenim in cura, in attentione animi, in sententiarum cogitatione, in verborum experientia durandum est; et, vel in res minimas, quae ad elocutionem, in utraque lingua, spectant, studium est adjiciendum.

Non est igitur cur miremur tot viros, assiduitate et labore magnis, in celebrem honoris gradum se ascensum iri voluisse, cum gallicos auctores in sermonem latinum transverterent. Ita quae sermonis patrii erant, ea, per *paraphrasim*, cognitionem habere faciliorem discipulos suos iisdem persuasissimum erat.

E poetis, qui e nostra lingua in latinam translati fuere, ii praesertim electi sunt literarum auctores peritissimi, et informandis animis aptissimi. Eo vero tempore, vatum illorum, qui-

bus Gallia gloriabatur, nobilissimi memoriam apud posteros adepti sunt, Cornelius, Racinius, Molerius, Fontanius et Bolaeus, quibus addendus est Fenelo, qui *Fata Telemachi* in oratione prosa cecinit. Quos inter, Fontanius, Bolaeus et Fenelo prae ceteris eliguntur in latinum sermonem convertendi. Idem accidit quibusdam e clarissimis nostris vatibus, qui, existimantes se aliquid praeclari pro Gallia gerere, e lingua latina in patrium sermonem aequales poetas deduxerunt. Cornelius noster, scilicet, Ruaei aut Santolii poemata propriis versibus ornavit ; ita ut, si quis de ingeniis duobus proferre velit judicium, in ambiguo sit uter utrum superaverit [1].

Hos inter poetas, qui vates gallicos in latinum sermonem converterunt, eminent oratoriani Patres Vinotus, Tissartus et J. B. Giraud, qui, dum vivebat, Rothomagensis Academiae fuit socius. Ipse suae est causae patronus et defensor, cum in admonitione, suae interpretationi praefixa, dicit : « Jure confido mihi vitio non vertendum, quod selectas Fontanii fabulas latinis versibus expresserim... — non ea mente ut adjuvem eruditos, sed Parnassi alumnos.... Insuper fabellae sententiis scatent ad mores informandos aptissimis, quae animis omnium praesentes et obviae esse deberent, ut, pro varia temporum opportunitate, quisque illis uteretur. » Haec de Fontanio sententia, ut de morum informandorum auctore non mihi displicet. Egregius ille poeta, cum animalium brutorum speciem praebet, mores hominum describere et sermones in animo habuit. Quod certe innumeris exemplis probari possit, ex quibus quam vere locutus sit magnus ille vir, apparet, cum de narratione apologi nihil aliud existere dicit quam :

> Une ample comédie à cent actes divers,
> Et dont la scène est l'univers [2].

Fontanius suae aetatis poetas, vel clarissimos, superavit,

---

1. *Œuvres de P. Corneille.* Collection des grands écrivains de France, T. X, pp. 49 et seq...
2. *Fables,* Livre *V,* 1.

quamvis tale carminis genus adhibuerit quo aequales sui parum sint delectati. Bolaeus, in sua *Arte poetica*, nihil laudis nec fabellis, nec Fontanio, quanquam sibi devotissimo, tribuit. Quippe, postquam, cum nobilissimos literatae vetustatis scriptores, tum illorum in Gallia imitatores judicavit, fabulas fabularumque poetas, parum sua eruditione dignos, utpote humiliores, censuit, nec justis et honestis decoravit honoribus. Naturali quodam tamen et simplici stili genere Fontanius omnes dicendi veneres est sectatus. Gratias, jocos, lepores, ab illo tantum videmus retineri, ut nemo se tam pure et aperte dicere non confidat. Is autem dicendi color, si Fontanium in alienam linguam transtuleris, possitne servari? Versus, cum sint molles et teneri et ita flexibiles ut, quocumque vertas, sequantur, quis, cum venustate nativa, in peregrinam orationem deducat? Auctor quidam egregius qui subtiliter et eleganter nostrarum literarum historiam tractavit [1] fateri non dubitat quam difficile sit Fontanium in Germanicam linguam, cum verborum vi poetica et virtute, transferri.

Animo tamen non defecerunt quidam audaces viri, qui vertendum in latinos versus Fontanium suscepere, et, quae virtus erat, perfecere. Quanta opera tam difficilis labor est aggrediendus! Hoc enim praestat Fontanii sermo quod, sincero et urbano et candido genere dicendi, vel emendatissime loquentes vincat; ita ut nihil absonum, nihil inelegans possit apud eum reprehendi. Tanta est illa sermonis suavitas ut appareat in eo nativum esse leporem, quem miramur, nec ascitum. Atqui, si accuratius orationem latinam limaveris, qua verba sint eligenda, numero poetico astricta, nonne timendum est ne gallici versus, ex *paraphrasi*, et praefracti, et horridi evadant?

Inter eos qui propositum illud tenuerunt, numerandi sunt doctissimi viri Petrus Tissartus et Modestus Vinotus, qui in literas docendo consenuerunt. Qui quidem, ejusdem socii con-

---

1. *Wir brauchen wohl keine Entschuldigung dafur anzuführen, dass wir die citirten Stellen nicht in einer Uebersetzung geben, da es sich hier ia um den unnachahmbaren Stil* La Fontaine's *Selbst handelt.* (Lotheisen : *Geschichte der Französischen Literatur in XVII Iahrhundert.* III. B. p. 212).

sortesque laboris, in sua Fontanii translatione, accuratam et diligentem elegantiam attulerunt. Iis praecipuae laudi dandum puto quod, primi, tantum opus adorti, solertiore quodam modo absolverint. Nihil enim apud illos invenire est quod aures teretes offendat, nihil quod non sanum et rei poeticae consonum prae se ferat judicium. — « Tacere non possum, ait Pater Giraud [1] duos nostrae Congregationis presbyteros, scilicet Vinotum et Tissartum, quadraginta et amplius Fontanii fabulas in latinos versus transtulisse; eorum interpretatio a doctissimo abbate Goujetio laudata est. Quod opusculum in lucem prodiit sub titulo hoc: « *Fabulae selectae e Gallico D. de la Fontaine latine redditae*. Trecis, anno 1691, apud J. Febvre. » Quod dixit Pater Giraud in operis sui initio, id antecessores tritum debuerunt habere. « Florere, inquit, nos oportet iisdem ornamentis, quibus a natura fuerat insignitus Fontanius; veneres et elegantiam cum simplicitate et ingenuitate conjunctas habere, posse nostrum stilum ad quodvis argumenti genus inflectere, singulas res, quae depinguntur, coloribus vestire, qui splendidius fulgeant et majorem concitent admirationem » [2].

Ita omnes operis difficultates penitus introspicientibus justum esse videtur auctoritatem tribuere qua sibi faciant audientiam. Ferocius enim si confiderent rem sibi prospere actum iri, ingenium illis inesse mediocre non immerito judicares: quod voluerunt, consecuti sunt, idque sapienter antea excogitaverunt.

Qua vero de causa nonnulli nostrorum Fontanium transferendum elegerint, satis liquet. Magnus ille vir, cum junior esset, in Oratorio commorari cupierat. Nondum enim adhuc poeticum portum, in quem postea appulit, conspicere potuerat. Post vero aliquot menses, piissimam Oratorii domum, in qua, in Deo ministrando posuerat tirocinium, suarum tandem virium peritior atque facultatum factus, reliquit. Hujus tamen memoria inter Oratorianos viguit; huncque, vicissim, Oratorii haud immemorem praedicamus. Cum enim canesceret, aegrotaretque Fontanius, totum se ad puram religionem cupiens accommo-

1. *Praefatio*, p. XVIII.
2. *Praefatio*, p. XI.

dari, Oratorianum quemdam, Patrem Pouget nomine, arcessivit; quo auctore et auspice, vere Christicolam dein sese protulit. Ex quo factum est ut, apud posteros, Fontanius tanquam unus de familiae Oratoriae filiis semper numeraretur. Ex quo factum est etiam ut ii poetam, qui tali florebat gloria, sequerentur et imitarentur, qui jam Fontanio conjungebantur quadam societate.

Parum vero esset si Fontanii traductores nulla alia cum eo consuetudine gloriarentur. Ea enim prae ceteris lege tenentur ut in longinquo usu cum gallico vate permaneant, antequam eum in alienam linguam deducant. Omnia quae ab ejus imitatoribus sunt tentata, sicca quidem, et horrida et impolita nobis esse videntur; adeo hujus ad fabulas docti et instituti, si in Gallicae poesos curriculo ducem quaerimus, nullum fere alium vatem magis probandum quam Fontanium laudabimus.

Cum prope nescio quid miraculi habeat Fontanius in patrio sermone legendus, nunc videre est quam rationem illius transferendi vel quem imitandi modum adhibuerint poetae oratoriani.

Instituta certe ratio vertendi gallicum in latinum sermonem jam a praeteritis aetatibus fuerat. Si criticis credas, qui versiones faciebant excellere debebant et orationis simpliciter transferendae studio et convenientia verborum quadam, quibus, integram exemplaris sanitatem, imitando, reddebant.

Qua vero de causa id literarum genus tantum prævaluerit nostro non alienum forsan proposito erit inquirere. Hanc opinor sitam esse ea in sententia, ut latinus sermo solus usui esse possit, cum materia duratura tractatur, cumque aedificandum est illud quod Thucydides nominabat : κτῆμα εἰς ἀέι [1]. Nemo enim doctorum virorum credebat tantum, vel tunc temporis, Gallicae linguae inesse robur quod aevum superet. Si enim Montanium interroges, illum audire est sic loquentem : « Il (scilicet Gallicae sermo) escoule tous les jours de nos mains ; et depuis que je vis, s'est altéré de moitié... (*Essais*, III. 19) » Bossuetus

---

1. Thuc. I, 22.

ipse Montanio convenit. « Comment, inquit magnus ille vir in aula Gallicae Academiae, peut-on confier des actions immortelles à des langues toujours incertaines et toujours changeantes? Et la nôtre en particulier pouvait-elle promettre l'immortalité, elle dont nous voyons tous les jours passer les beautés et qui devenait barbare à la France même, dans le cours de peu d'années ? » [1].

In vanum igitur tot et tanti auctores jam patriam linguam operibus, cum novis, tum eximiis, illustraverant : eam nondum solidam judicabant, et, vernaculo idiomate tanquam imbecillo derelicto, latinae linguae usum occupabant, sicut idiomate illo quo vere docti gloriarentur.

Redeundum est nunc ad Oratorianos illos de quibus antea quaestio fuit.

Origo ipsa et vita quae fuerint Patrum Tissarti et Vinoti difficile explores, exstinctis quidem documentis. In utroque fuit ingenium non mediocre, disciplina, et literatura; quae speciem virorum horum quamdam exhibent.

Natus Parisiis, anno 1666, Petrus Tissartus, post tirocinium exactum, quod in vicesimo aetatis suae anno explebat, Divioni et Ambianis literas simul et Theologiam docuit. Quo vero anno mortuus fuerit, incertum.

De socio ejus laboris, Patre Modesto Vinoto, plura traduntur. Natus est Trecis. In septimo decimo aetatis suae, tiro factus est ; postea, in seminarium SanMaglorianum vocatus, magnam laudem in explicandis Theologiae libris adeptus est. Qui quidem familiarissime Fontanellio et Marchione d'Argenson usus, canonicatum, Turonibus, obtinuit [2].

Ex eo communi, quod susceperant, munere duo Oratoriani, Fontanii gallice vertendi, exiit opusculum, quod hodie rarissimum est. Editum fuit Trecis, apud J. Febvre, 1691.

Si Patris Joannis Baptistae Giraud [3] vitam velis scribere,

---

1. *Discours de réception à l'Académie Française,* 1671.
2. *Dictionnaire* de Ladvocat.
3. *Académie des Sciences, Belles-Lettres Arts, de Rouen,* 1777. — Hac in Academia laudatus est, eo anno, Giraud a viro Hullier de Couronne.

plurima documenta invenias, conservatis notatisque temporibus et rebus.

Natus est ipse quoque Trecis, anno 1701.

Anno vero 1725 tirocinio posito, postquam Riomi, in Arvernia, dein Montebrisone, literas docuit, Rothomagi permansit, ubi Academiae socius factus est. Tunc, utpote ingeniosarum rerum cupidus, Fontanio in Gallicos versus vertendo operam dedit. Quod opus maximam, praesertim apud doctos, mirationem movit, nec sine jure. Omnes enim praestat veneribus et elegantia cum simplicitate et ingenuitate. Et quidem numerum fabularum quas vertit spectanti, antecessores superat idem ille vir, cum fere totum Fontanium susceperit interpretandum. A Patribus autem Vinoto et Tissarto, nonnullae tantum eaeque eximiae sunt translatae.

Viginti unius solum fabularum interpretes fuerunt quibus titulus est : *Mus et Ostrea ; Lupus et Equus ; Pastor et oves; Asella et Catellus ; Lupus et Pastores ; Asella gerens sacra ; Vespertilio et Mustellae ; Lupus et perdix ; Capo et accipiter; Auriga ; Peregrini et Ostrea; Volucris saucia ; Femina mersa* ; *Lupus et Agnus ; Mus agrestis et mus urbanus ; Leo senex ; Ardea ; Leaena et Ursa ; Capella, Ovis et Porcus; Fur et Canis; Columbae et Vultur.*

His interpretationibus quaedam inest poetica virtus, quae tamen exemplaris nec suavitatem nec colorem refert; magnam inaequalitatem inter Fontanium ipsum et versionem, quis est qui non sentiat ? Satis erit unam e multis interpretatam fabulam, exempli gratia, proferre, cui inscribitur : *Peregrini et Ostrea.*

Ibat litoreis duplex peregrinus arenis,
    Stabat ubi rapidis ostrea jacta fretis;
Sorbet uterque oculis : digito sibi monstrat uterque
    Quis comedat?.....
Qui primus vidit, res olli debita cedit :
    Alter sorbebit; testis at alter erit.
« Esto, ait ille ; dedit mihi vivida lumina caelum.
    Nobis, hic dixit, vividiora dedit,
Et prius esca mihi visa est » — Cui retulit alter :
    « Visa tibi ? olfacta est sed prius illa mihi. »

Haec inter Perrinus adest, dubiamque rogatur
Judicio litem solvere velle suo.
Tum graviter frangit conchas, et, utroque vidente,
Litigiosum avido devorat ore cibum;
Et simul id fecit, tum Judicis intonat ore :
« En facilis concham donat utrique Themis. ».....

Licet hi versus cum Fontanii versibus congruant, ita ut sensus fideliter sit expressus, posteriores prioribus verborum elegantia et concinnitate inaequales sunt ; non satis enim bene sonant. Praesertim apud traductorem frustra requirere est colores illos vividissimos quibus Fontanius personas agentes proposuit, et lumina illa quibus distinguuntur, illosque ingenii celeres motus qui, in eo, tantam vim imaginandi demonstrant.

Ardeam, qualem depinxit Fontanius, quis cognoscat, cum talis effigies fingitur ?

« Fluminis ad ripas oblongis ardea plantis
Carpebat lentas ambitiosa vias.
Lucebat sine nube dies, sine fluctibus unda;
Exsultim in nitidis lucius ibat aquis.

Quanquam, fateor, limitius consectatur dicendi genus latinus poeta, non possum non ante oculos meos ponere admirandam illam Gallici poetae imaginem, quae res objectas, quales recipit, tales remittit:

« Un jour, sur ses longs pieds allait je ne sais où,
Le héron au long bec emmanché d'un long cou. »

Non est cur Fontanii versus, ab omni quidem regula immota liberos, in versus elegiacos translatos fuisse miremur. Nam, ut ait Giraud, « sententia elegiaco carmine enuntiata, facilius retinetur, altiusque memoriae infixa haeret, quam si iambico esset expressa. »

Quale vero artificium dicendi inter modum, quo usi sunt in interpretatione Patres Vinotus et Tissartus, et rationem Patris, Giraud intersit, animo obversabitur, eadem fabula, quam si-

mul interpretati sunt, observata. Proponam, exempli causa, fabellam cujus titulus est : *Lupus et Agnus.*

Sic eam transtulerunt Patres Vinotus et Tissartus :

« Si tibi sint vires, et jus tibi causaque victrix
Semper erit. Faciet fabula nostra fidem.
Agniculus sitiens noti sub margine rivi
Aridulo liquidas ore bibebat aquas.
Et Lupus huc venit quem siccum sanguine guttur
Et stimulans sylvis fecit abire fames.
Tantane te generis tenuit fiducia, dixit,
Potum ut turbares, bestia foeda, meum?
Ast modo tam diri sceleris me vindice disces
Contemptu Dominos quid sit habere Lupos.
Ne, saevi, Agnus ait; potius sed respice, quaeso
Ad fauces a te defluit unda meas.
Non ergo facio, quod ais, Rex magne ferarum :
Nec potus audax hic ego turbo tuos.
Imo, Lupus retulit, turbas, mala bellua, turbas.
Quin etiam es quondam grandius ausa scelus :
In Me es praeterito bacchata procaciter anno;
Et duris laesit me tua lingua jocis.
Qui potui, Agnus ait, non illo tempore natus?
Ubere nunc etiam me mea mater alit.
Vel tu, vel Fratres hoc estis crimen adorsi.
Parce, precor, Frater nam mihi nullus, ait.
Ergo tuorum aliquis; neque enim mihi parcitis unquam,
Vos, Pastor, vestri, turba scelesta, Canes.
Audivi, ulciscar : mora nulla; ferociter agnum
Corripit, et fugiens in sua lustra rapit.

En nunc eadem fabula a Patre Giraud translata [1] :

Huic melior causa est, cuicumque potentia major :
Ne morer, exemplo rem mea musa probat.
Aestivam relevare sitim vix coeperat agnus,
Qua puris fugiens fons saliebat aquis.
Faucibus impastum siccis allexit eodem
Et lymphae et praedae dira cupido lupum.
Quae te adigit turbare meos audacia potus?

1. Giraud : *Selectae Fabulae,* I. p. 34.

Mox poenas, dixit latro, proterve, dabis.
Ah! parce irasci, rex maxime, laniger inquit,
Quo restinguo sitim, respice, quaeso, vadum.
Te procul, inferior placide mihi ducitur unda;
Ergo tuos potus non ego turbo meis.
Turbas tu sane nostrum laticem, improbe, turbas:
Horrifico infrendens retulit ore fera.
Quin ante hos menses bis senos (rite recordor)
Ausus es injustis me lacerare probris.
Qui, necdum natus, potuissem? laniger inquit;
Pascit adhuc tenero me mea lacte parens.
Non tu. Ergo frater tuus. At nullus mihi frater.
Ergo aliquis consors gentis amansve tuae;
Nam mihi, vos raro, vestri dominique canesque,
Parcitis: audivi. Noxa pianda modo.
Nec plura: innocuum speluncam raptat in imam,
Hic litem judex illico dente secat.

Longius quidem ab incepto meo errem, si quanto liquidior et vividior sit ultima illa Patris Giraud fabula ostendere velim. Ab *una* disce omnes. Orationis illius genus tale est ut verum Fontanium reddat. Praeterea antiquitatis quasi artibus imbutus, flosculos veterum poetarum undique decerptos in suo opere colligit; politos ita suos versus facit ut Fontanium, recentiorem dico vatem, vatibus antiquis quasi coronet [1].

---

1. Unum illius peritiae exemplum edam, scilicet excerpta quae ad præscriptam fabulam attinent.

℣. 7. *Adigit.*

Tua tristis imago,
Saepius occurens haec limina tendere *adegit* (*Virg.* 6. *Æneid.*) i.e. huc venire impulit.

℣. 7. *Potus.*

Qui *potus*, dubium, sistat, alat ne famem. (*Ovid. de Ponto* 1. 28).

℣. 11, *Unda.* Unda pro aqua:

Potare canalibus *undam.* (*Virg.* 3. *Georg*).

℣. 18. *Tenero.*

Lamina mollis adhuc *tenero* dum lacte, quod intro est. (*Ovid. Nux.* 95).

℣. 22. *Audivi.* i. e. auditu accepi.

Audieras et fama fuit (*Virg.* 9. *Eglog.* — 7. *Æneid,* 225).
Quo tamen *audiero* tempore, laetus ero.
(*Ovid.* 4. *l. Trist.* 3) *Eleg.*
Audieras, cui.
Rem Di donarent, illi decedere pravam

Alius exstitit quoque Oratorianus, qui nonnullas Fontanii fabulas in latinos versus convertit, *Honoratus Delphatius*, gallicé (*Delphaut*). Editae sunt primum Vindocini, pridie Idus Martias, anno 1675; huncque indicem, post dedicationem Santolio factam, proferunt: *Corvus Aquilam aemulans*; *Concilium a Muribus habitum*; *Felis et Mus senior*; *Leo senio confectus*; *Ebriosus et ejus Uxor.* — Postquam Fontanius sex posteriores libros ipse ediderat, in secunda editione, data Amstelodami, anno 1694, novem fabulae prioribus additae sunt, scilicet: *Pisciculus et Piscator*; *Puer et Ludi Magister*; *Sutor et Quaestor*; *Quercus et Arundo*; *Mulier et lactis sinum*; *Leo et Culex*; *Lepus et Ranae*; *Hirundo et Aviculae*; *Duo muli.* Libellus autem iste reperiri non potuit, ideoque nunc de illo est tacendum.

Neminem fugit inter Lyricos nostros primas tenere Malherbium. In eo, si nimiam severitatem, qua Ronsardum insecutus est, reprehendas, confiteri tamen cogeris huic viro inesse poeticam virtutem, elegantiam, spiritum elatissimum, quibus ad perfectam laudem est ductus. Summa colorum venustate magnus ille vates omnia depingit, veraeque pulchritudinis sensum in mentibus excitat.

Animum induxerunt quoque Patres Tissartus et Modestus Vinotus, de quibus facta est jam mentio, latino reddere sermone Malherbii opus elegantissimum, id est, carmen illud lyricum, quod ad Ludovicum XIII conscripsit, cum rex ille, Richellaeo et Berullio auctoribus, proficisceretur ad obsidendam Rupellam, et ad Anglos, qui huic urbi ferre suppetias parabant, repellendos [1].

Stultitiam. (*Hor.* l. 2. *Epist.* 2.)

℣. 22. *Noxa.* Sumitur pro peccatis levioribus, et pro gravioribus.

Hic in *noxa* est, i. e. in culpa. (*Ter. Phorm.* 2. I. 36).

Longa mora, est quantum *noxae* sit ubique repertum (*Ovid. I, Metam*).

Noxae, i. e. criminis.

℣. 24. *Litem secat.*

Quo multae magnaeque *secantur* judice *lites.* (*Hor.* I. *Ep.* 16).

1. Vide quomodo Sainte-Beuve hos versus probata trutina penset : « Sa grande Ode finale, *son chant du cygne* est sa pièce prophétique sur la prochaine reddition de la Rochelle (1627). Il est de ceux, comme Buffon, qui n'ont pas faibli, et dont le talent a duré et grandi jusqu'à la fin : il a soixante-

« Ergo alios, Lodoïce, parant nova bella labores.
Ne cessa; rape tela manu, Monstrique rebellis
Ultima procumbat justo sub fulmine cervix :

Sacrilega audacem quae tollit Bellua frontem,
Vindice sparsa manu, Francis cadet hostia divis,
Ut nobis rigidos dudum minitantia casus
Agmina dispicias, nec ferro parce, nec igni.

I, propera, et penitus funestam interfice Pestem ;
Nec pectus, Lodoïce, tuum clementia vincat.
Nequiquam caelo minitantia moenia tollunt,
Altaque perducunt grandes ad Tartara fossas....

O utinam antiquos caelum mihi redderet annos,
Et fausta Aesoniae sentirem fata senectae,
Quae fuit in veterem quondam revoluta juventam !
O quam dulce foret tecum tua fortia facta
Aspicere et faustos Martis tentare labores !...

Nunc senio tardante et longis vincimur annis.
Mens nobis jam sola viget, victrixque senecta
Exserit antiquas inter studia ultima vires [1].

Aetate illa poetas multos juvabat in latinam linguam convertere quotquot literas gallicas ornaverant. Quos inter, si Fontanium mitto, ex propositi mei ratione, Bolaeum nominare gaudeo. Sua eum commendatio per se gratum facit; quippe qui, severus, et gravis, et lepidus, nihil timidius egit. Malos auctores, poetas tanto nomine indignos, cum bonae et verae mentis jura defendebat, acerrime aggressus, pro arte simul et ratione dimicavit. Nulla invidia vel formidine correptus, Bolaeus malo cuique auctori, quamvis potenti aut diviti, obviam ire ausus est ; ipse docuit quibus artibus auctores antiqui instrui

---

douze ans, lorsqu'il entonne si hardiment cette fanfare guerrière, la plus belliqueuse des siennes et la plus vaillante. » (*Nouveaux Lundis*, XIII. pp. 395 et seq.)

1. *Carmina varia*, Salmurii, apud Ernou, 1695, fol. 117 et seq.

soliti essent, declaravitque quonam ingenio recentiores, non solum animi vi, sed etiam orationis forma, locum, veteres imitando, sibi peculiarem obtinerent. Literae antiquae Bolaeo factae sunt quaedam quasi provincia pro qua mori et cui se totum vovere et in qua omnia consecrare cupivit; ita ut, nihilominus, aequalium suorum auctorum gloriam copiosissime persequeretur. Racinium enim, Molerium, Cornelium ipsum his amplificat laudibus ut illis posteri addere nequiverint. Natura conveniebat Bolaeum, qui Horatium praesertim et Juvenalem est imitatus, in latinam converti linguam. Talem decebat vatem in suam quasi patriam reverti. Idem enim ille vir, et cogitando solidus, et scribendo expressus, gallico sermone, quod latini illi poetae rebus et verbis significaverint, declarat illud et manifestat. Quibus si Malherbium addideris, Bolaeum fere integrum senties. Vir magno ingenii acumine praeditus et magna mentis probitate fuit Bolaeus. Non adeo tamen viget rebus poeticis ut perpetua excelsi animi felicitate laetetur. Si mihi liceat, quid sentiam, palam efferre, libenter dicam magno illi viro inesse mediocrem intelligentiam, quae suis eum viribus ferocius confidere non sivit, et ab insolentia tutum eum praestitit.

Bolaeo igitur contingere debebat quod et Fontanio evenit : ut ejus carmina in latinos numeros transferrentur.

Hos inter Bolaei traductores, perpaucos designare est ante XVIII seculum : quo tempore doctissimus vir Michael Godellus, antiquus Rector Universitatis Parisiensis, in latinos modos auctoris nostri insignis poemata reddit. Bene quaerenti inter latebras XVII seculi apparent tantum in latinum sermonem conversa poemata illa quae inscribuntur : *Namureum expugnatum*, traductore Lengletio [1].

Non est igitur cur Oratoriani, veri quoque cultores et pulchri, et in humanioribus literis incumbentes, in vertendo Bolaeo non essent versati. Minore tamen vinciri et astringi religione, quam cum Fontanium transferrent, debuerunt. Bolaeus

1. 1692; in-8, apud Vitré.

enim animos, sicut Fontanius, non arte perfecta puraque elegantia permovet. Siccus idem ille poeta, gravitate quidem dicendi pollens, serviens regulae, non eosdem ac fabularum auctor noster, nativos stili lepores, non eumdem candorem prae se fert. In eo tamen apparet sententiosa quaedam brevitas, quam facilius est latino hexametro reddere.

Ex Oratoriae societatis presbyteris, plures fuerunt qui, Bolaeum in latinos versus translatum, ad usum scholarum accommodare tentaverunt. Quos inter Guillelmum du Fours, Jacobum du Treuil, et Nicolaum Texerium praedicandos puto. Prior, teste Patre Adry, inter optimos Oratorii poetas judicandus est. Alter vero, Bolaeo ipso judice, cum ad suum amicum Brossetium, anno 1708, scribit, non minore dignus est laude. — Vix credas quot investigationes, per me aut per amicos, in multis tentaverim bibliothecis, in urbibus quarum, Oratorianis agentibus, collegia floruerant. Unam reperi translationem, cujus nonnullos versus expromere hic mihi fas sit, quaeso. Hanc igitur scripsit Pater Stephanus Faber, qui Nannetis, per longum tempus, collegio praefuit. Quo vero tempore hanc Bolaei *ad Arnaldum epistolam* latinis modis ornaverit, incertum est. Quam, nec elegantia nec concinnitate, Bolaei poemate deteriorem existimo. Grammatici ipsi decernant !...

« Sed quid ego haec autem ? usque adeo pudor improbus urget.
Sic est, sic pavidos, mendax Infamia, terres ;
Dejicis e solio primum, exitiosa, Parentem,
Dum vana captus specie, nec conjugis audax
Suspectam explorare fidem, cedensque pudori,
Progeniem mactat crudeli uxorius Orco.
Ante diem, miseros quae perdidit atra Nepotes,
Omnia laeta dabant castis se se obvia votis,
Nec vesana fames exsucca armenta vorabat,
Omniaque immunis, rastroque intacta, neque ullis
Saucia vomeribus, nullo cogente, ferebat
Sponte ferax tellus ; nec pressus terga dolone
Bos ingrata gemens tardo pede aratra trahebat.
Turgentes gravida pendebant vite racemi,
Largaque per campos manabant flumina lactis.

At vix Mortalis divinos ambit honores,
Cum vectigales solvit pro crimine poenas.
Jamque, premente Deo, miser, impatiensque laborum
Cogitur assiduo steriles ditare ligone
Nudus opum glebas; hinc, inde frequentior horret
Carduus, et per humum mala tactu vipera serpit:
Depopulantur agros rabiosi tempora Signi,
Concussus reboat saevis Aquilonibus aether,
Raptaque depellunt mortali a corpore frigus
Vellera, Marsque, Famesque, et juncto foedere Pestis
In fatalem hominum se se armavere ruinam:
Nec mage tetra lues terris, nec saevior ulla,
Quam malus incubuit pudor; hoc duce et auspice, mentem
Continuo invasere Nefas, Fraudesque Dolique;
Immoritur studiis, diraque cupidine avarus
Languet opum, virtutemque infami aestimat auro,
Pauperiemque putans vitium ingens, cautior horret.
Justitia excessit terris, Verumque Fidesque,
Et contempta jacet Pietas, locaque abdita quaerit.
Ex hoc, nemo adeo intactus, quem, pectore quamvis
Innocuo, haud teneant vesani vincla pudoris.
Tot mala, tot luctus, heu! primi culpa Parentis
Devehit in natos. Nec ego qui, carmine censor,
Castigo hic alios, possim ipse, Arnalde, pudorem
Excutere insanum, Virtusque armata fatiscit.
Imbecillus, iners, levis, et mihi saepius impar
Nequiquam coeno, miserum quo me mala figit
Natura, obnitor trepidantem evellere plantam;
Luctantem immergunt Vitia, et pes altius haeret.
Nam si mens se se, ut nunc est, melioribus offert,
Si quandoque palam rectum defendere suadet,
Improvisam oculorum aciem, nutumque tremisco;
Quin, dum pauca tibi meditatur carmina Musa,
Horresco tacitus quae de me fama loquatur [1].

Tentamina illa, quanquam inter pulchra Oratorianae Musae opera sunt nuncupanda, et versuum venustate et laboris fidelitate, Patris Viel tamen inceptui cedunt, cum Fenelonis *Telemachidem* latino sermone reddidit.

---

1. In fine poematis legitur manuscriptum : *Stephanus Le Febvre, congreg. Orat. Parisiensis.*

Quid vult liber ille notissimus? Disputatur in contrarias partes. Poeticum velut quoddam opus, quamvis in oratione prosa scriptum, ab aliis existimatur, in quo multa, ornandi causa, allata sunt. In multos enim, poetarum more, excursus auctor exspatiatur, quos ex Homero, e Sophocle et e Virgilio desumptos, ut majorem lenociniis fidem faciat, in volumen includit. Alii vero critici, in *Telemachi fatis*, quamdam pueri instituendi rationem concipiunt. Fatendum tamen est, ex institutis illis, adolescentem principem potius quam virum communi obnoxium vitae evadere.

Bolaei vero sententiam de hoc opere, quae primum legentibus nobis severa videri possit, quis non probet? Hic enim suo amico Brossetio scribit, (10 nov. 1699) : « Je souhaiterais que M. de Cambray eût son Mentor un peu moins prédicateur, et que la morale fût répandue dans son ouvrage imperceptiblement et avec plus d'art. Homère est plus instructif que lui [1]. Mais ses instructions ne paraissent point préceptes, et résultent de l'action, du roman plutôt, que du discours qu'on y étale. »

A Fenelone, praeterea, si stilum comminus aspexeris, numerosa adhibetur quaedam oratio, et quam metiri possumus intervallis fere aequalibus. Eam vero variam modi et numeri dictionem auctor ille egregius primus est qui, inter coaetaneos, insistat, solo rythmi amore percitus; ita ut, cum Bruero, sed non iisdem e causis, in numerum scriptorum quos hodie « *stylistes* » vocamus, ascisci possit.

Natura fit ut Fenelonem, utpote ad omnem honestatem simul et elegantiam absolvendam idoneum, certi institutores, ad usum scholarum, in latinum sermonem transferre animo conceperint.

Primus ex eis vocabatur Petrus Heurtant, Cadomensis Universitatis professor, qui, anno 1721, quinque priores *Telemachidos* libros modis latinis reddidit.

In Germania, Berolini, anno 1743, [2] translatio *Telemachidos*

---

1. Cf. Horatium, *Epist.* I, 2.

2. Sumptib. Andr. Rudigeri; in-8°, 552 fol. — Cf. P. de Bologne 1758 : 1 *lib. Telem.* — Destouches, Augsbourg 1764, in-4, 12 *lib.*

altera edita est, a scriptore incerto facta, quem tamen fuisse Jesuitam suspicor. In praefatione enim sua dicit: « Nihil habeo quod paginis his praefari necesse ducam, nisi quod veniam deprecer audaciae, qui opus magni viri, toto orbe celebratissimum, impari stilo conatus sum assequi. » Deinde nonnullos Rapini versus e libro I. *Hortorum* desumptos profert :

« Sit fas divini tantum vestigia vatis
Posse sequi, summoque volans dum tendit Olympo
Sublimem aspicere et longe observare tuendo. »

Difficilius tamen auctor Germanus carmen tentavit : omnia impedimenta tantum abest, pro viribus suis, ut superaverit, ut contra, anhelanti similis, tanti operis mole oneraretur. Versus enim incorrecti et inornati, rudes et impoliti, a suo exemplari longissime absunt.

Quanta vero arte magis pollet Oratorianus Viel [1] ! Tali modo, ad quod propositum pervenire cupierit, profitetur : « En traduisant, inquit doctissimus professor, je me suis efforcé de me rapprocher le plus qu'il m'a été possible, du style de mon auteur. La clarté, la simplicité, la noblesse de l'image en forment le caractère dominant. Elles doivent se retrouver dans la copie, pour avoir un air de ressemblance avec l'original. La fidélité ne consiste pas à rendre servilement chaque expression, — le génie des deux langues ne le permettrait pas, — mais, à bien saisir chaque pensée pour la reproduire de la manière la plus analogue [2]. »

Mihi libet nonnulla excerpsisse e Patris Viel translatione, ea dumtaxat quibus incidere potest aliqua cum Sophocle et Virgilio comparatio. Spero fore ut ex ea collatione non adeo minor praestantissimis illis vatibus exeat.

---

1. Stephanus Viel natus est Aureliae Novae, in Americâ, anno 1737. Alumnus Juliacensis gymnasii factus, in veteri collegio, utpote Oratorianus, ab anno 1760 usque ad annum 1787, egit.

2. *Telemachidos libri XXIV è gallico sermone Franc. de Salignac de la Motte Fénelon in latinum sermonem transtulit Stephanus Alexander Viel :* (Paris, P. Didot, in-12, 1808).

Lege primum Herculis mortem [1]:

« Ut vestem induitur, tum sensit in ossibus omnem
Vim flammae Alcides. Vastis ululatibus Aeta
Insonuit, valles circum insonuere profundae;
Ingemuit mare; nec tantis mugitibus auras
Terrificant, cum saeva ruunt in praelia tauri.
Ecce Lichas, puer infelix, quem miserat uxor
Dona ferens; ut primum ausus procedere juxta,
Perfurit, impatiensque mali Tyrinthius alti
Ut late funda saxum qui missile librat,
Circumagit, celerique rotatum turbine torquet.
Herculea sic ille manu de vertice montis
Decidit, infandum! medias procul actus in undas;
Et mare per vastum duro stat robore rupes,
Humanae quae servat adhuc vestigia formae
Fluctibus et semper latrantibus obvia ventis
Prudenti timidos arcet formidine nautas.

Philoctectam ex insula sua proficiscentem, nunc audias, precor:

---

1. *Telemachidos* lib. XV. { Viel. V. 70 et seq.
Sophoclis, *Trachin*, V. 765 et seq.

ὅπως δὲ σεμνῶν ὀργίων ἐδαίετο
φλὸξ αἱματηρὰ κἀπὸ πιείρας δρυὸς,
ἱδρὼς ἀνῄει χρωτὶ καὶ προσπτύσσεται
πλευραῖσιν ἀρτίκολλος, ὥστε τέκτονος,
χιτὼν ἅπαν κατ' ἄρθρον· ἦλθε δ' ὀστέων
ἀδαγμὸς ἀντίσπαστος· εἶτα φοινίας
ἐχθρᾶς ἐχίδνης ἰὸς ὣς ἐδαίνυτο.
'Ενταῦθα δή' βόησε τὸν δυσδαίμονα
Λίχαν, τὸν οὐδὲν αἴτιον τοῦ σοῦ κακοῦ,
ποίαις ἐνέγκοι τόν δε μηχαναῖς πέπλον·
ὁ δ' οὐδὲν εἰδὼς δύσμορος τὸ σὸν μόνης
δώρημ' ἔλεξεν, ὥσπερ ἦν ἐσταλμένον.
Κἀκεῖνος ὡς ἤκουσε καὶ διώδυνος
σπαραγμὸς αὐτοῦ πλευμόνων ἀνθήψατο,
μάρψας ποδός νιν, ἄρθρον ᾗ λυγίζεται,
ῥιπτεῖ πρὸς ἀμφίκλυστον ἐκ πόντου πέτραν·
κόμης δὲ λευκὸν μυελὸν ἐκραίνει, μέσου
κρατὸς διασπαρέντος αἵματός θ' ὁμοῦ.

« Salve, antrum, dilecta domus; salvete tenentes
Humida prata Deae; non caecum murmur et iras
Aequoris accipiam. Salvete, o litoris orae,
Hic ubi sum toties ventos perpessus et imbrem;
Vos, rupes, gemitus ubi nostros retulit Echo
Saepius, et fontes quorum mihi fluxit amaro
Flumine lympha. Vale in aeternum mihi, Lemnia tellus;
Per te quandoquidem superum vocat alma Voluntas,
Et socium, sit fas hinc fausto abscedere cursu [1]. »

Sic tandem describuntur Campi Elysii [2] :

« Hic fulget sine fine dies; hinc atra fugit nox,
Nigranti velata peplo; lux candida puris
Circumfusa humeros radiis pia corpora vestit...
Terrenae nil lucis habet coelestis origo.
Corporis haec densas moles subtilior intrat,
Quam nitidam penetrent crystallum lumina solis:
Illa oculos nunquam offusa caligine laedit,

---

1. *Telemachidos lib.* XV. — Viel V. 560 et seq. — Cf. Sophocl. in *Philoctetâ. V.* 1453 et seq.

Χαῖρ! ὦ μέλαθρον ξύμφρουρον ἐμοὶ,
Νύμφαι τ' ἔνυδροι λειμωνιάδες,
καὶ κτύπος ἄρσην πόντου, προβλής θ'
οὗ πολλάκι δὴ τοὐμόν ἐτέγχθη
κρᾶτ' ἐνδόμυχον πληγαῖσι νότου,
πολλὰ δὲ φωνῆς τῆς ἡμετέρας
Ἑρμαῖον ὄρος παρέπεμψεν ἐμοὶ
στόνον ἀντίτυπον χειμαζομένῳ.
Νῦν δ', ὦ κρῆναι Λύκιόν τε ποτὸν,
λείπομεν ὑμᾶς, λείπομεν ἤδη,
δόξης ὄυ ποτε τῆσδ' ἐπιβάντες.
Χαῖρ', ὦ Λήμνου πέδον ἀμφίαλον
καὶ μ' εὐπλοίᾳ πέμψον ἀμέμπτως,
ἔνθ' ἡ μεγάλη Μοῖρα κομίζει,
γνώμν τε φίλων, χὠ πανδαμάτωρ
δαίμων, ὃς ταῦτ' ἐπέκρανεν.

2. *Telemachidos* lib. XIX. — Viel. V. 471 et seq. — *Aeneidos,* lib, VI. 641 et seq. Cf. quoque librum cui inscribitur : *Mélanges littéraires : Essai sur Fénelon*, a doctissimo viro Villemain scriptum.

Sed magis exacuit firmans, mentemque serenat :
Sola pios pascit Manes : his defluit omnis,
Influit hos eadem; ac veluti se pabula miscent
Corporibus, sic illa animis infusa cohaeret.
Hanc palpant; hanc olfaciunt, spirantque videntque;
His et inexhaustam pacem, his et gaudia fundit :
Aequore ceu pelagi pisces, non secius illo
Fonte voluptatum gaudent, ac flumine mersi;
Nil ultra exoptant ; et, desint omnia quamvis,
Res sibi nulla deest; namque explet pectore purae
Lucis amor : plenis aspirant omnia votis.

Nonne, si carmina illa diligenter consideres et attente, in iis perpensa habebis magnam ingenii vim, exquisitum verborum judicium, linguam perpolitam, numeris doctis astrictam, quae tanta mentem jucunditate afficiunt quantam fere ex veteribus poeseos latinae magistris ipsis accipias ?

Ita, credo, vigebat apud Oratorianos semper ea institutio, qua bene et cogitandi et dicendi vis in eorum qui audiebant mentibus expromebatur ; ita, et verborum sonitui elegantium subjectae res erant quae, latine redditae, salubres offerebant legentibus sententias, et a vitio quolibet animos avocabant; ita, ingenium et mores simul excolebantur.

CAPUT SECUNDUM.

DE POETIS QUI VERSUS AD HISTORIAM GALLICAM ATTINENTES SCRIPSERUNT.

Ut primas tenet versus e gallico in latinum translati, ita secundas hi qui, ex serie temporum, aut mortuorum laudationes, aut laudum domesticarum memoriam, vel ad natales virorum principum dies canendos, vel ad victorias extollendas, celebrant. Quae quidem carmina, si quid ornamenti ex poetarum ingenio aut e laudatorum virorum splendore olim habuerunt, nunc in dies magis obscurata evanescunt. In eadem enim jejunitate et siccitate multa ex eis versantur. Et si memoriae nunc prodenda sunt, per se quod miremur nihil habent. Cetera vero, si quid valent, per poetarum artificium valent; praeterea, carminibus illis, quae ad res historicas attinent, quibusdam testimoniis scriptorum historiae Gallicae auctoritas corroboratur ac confirmatur.

Per Nicolaum Borbonium, talium vatum ordo mihi ducendus est : ceteri enim virtute longe sequuntur [1].

Nicolaus Borbonius junior, anno 1574, Barro ad Albam, e Lingonensis agri oppido, e patre medico natus est. Qui, cum dein rhetoricam à Passeratio didicisset, clarissimi ejusdem nominis propatrui vestigiis insistens, inter eos artium magistros,

---

1. Cf. *Nicolas Bourbon,* par René Kerwiler ; Paris, chez H. Menu 1878.

qui tanta luce magni saeculi initia illustrarunt, ita eximium obtinuit locum, ut neminem fere componendis carminibus latinis parem haberet. Scilicet et ipse, vix decurso studiorum curriculo, magister factus, in Grassineao, itemque in Harcuriano Lycio, in Rhetorice docenda plurimos annos gloriose traduxit. Quidquid autem supererat vacui ac liberi temporis, id latinae camenae tam feliciter impertiebat, ut maximam toto in regno famam brevi fuerit consecutus.

Illis e versibus, quos tunc composuit, operae pretium est nonnullos referre, quibus, qualis tunc fuerit vita scholastica, adumbrari potest. Nam, cum emendandam suscepisset Henricus Quartus Universitatem, abolito (anno 1608) [1] per jurisperitos Patres vectigali quodam, cui nomen *landi* fuit, quodque certis diebus solebant discipuli magistris exsolvere, magna inter professores exorta perturbatio est, commisitque Borbonius ut adversus Edmundum Richerum, cui a rege peragendae rei cura fuerat demandata, *Indignationem Valerianam,* satiram acerbissimam, conscriberet [2].

Borbonius professorum mercedem, quam senatus minuere conabatur, acerrime propugnat.

Cum nox jam irruit, Morpheus poetae dormienti, falsà sub imagine, quosdam visus exhibet.

« Ante oculos, foedo miseranda Academia cultu
Visa est.....
Tum sic orsa queri; (luctantia, saepe repressit
Verba dolor, crebris et vox singultibus haesit.) [3] :

---

1. « Ce salaire que les écoliers donnoient à leurs maîtres, ait Menagius, se payoit à trois diverses fois : 1° au commencement de l'année, on leur donnoit 1 escu ou un demi pour les toiles qu'on attachoit au fenestres afin de rompre le vent ; 2° on leur donnoit aussi, trois semaines ou un mois après la Saint-Remy, pour les chandelles, 3 ou 4 escus d'or, lesquels on attachoit au bout d'un cierge blanc ; 3° 6 ou 7 écus vers la saison du *landit* (foire célèbre, dit Batterel, qui se tient à Saint-Denis le lendemain de la Saint-Barnabé) ; lesquels on fichoit dans un citron, qu'on fichoit dans un verre de crystal, et on appeloit frippe-landi et croque-chandelles, ceux qui ne donnoient rien. » (*Origines de la langue françoise*, p. 432. Edit. Anisson. 1694.)

2. *Indignatio Valeriana, sive Parisiensis Academiae querimonia ad Carolum de Monmagny ;* Parisiis, Séb. Prevosteau, 1608.

3. *Poematia exposita*, Parisiis, apud Robertum Sara, 1630 : fol. 72 et seq.

« An mea Nobilitas incerta, aut sanguinis auctor
Effecit dubius, sic noster ut undique vilis
Calcaretur honos ? Ut cunctis spreta jacerem
Ordinibus, patererque imae convicia plebis ?.....
Siccine Francigenum quae incedo maxima regum
Filia, et angustos inter vagisse Penates
Prima feror, moriar telo prostrata furentis
Invidiae, saevisque odiis, et vindice nullo ?.....

Prosequitur Academia, tanto dolore affecta, ut Patres accuset quod professorum statum nautarum statu pejorem faciant.

«..... Si delatorum votis res staret iniquis,
Omnis cirratae moderatrix turba juventae,
Non plus mercedis, non plus lucrentur honoris,
Quam qui grata viae fessis compendia servans,
Qua sterni geminos optat sibi Sequana pontes,
Portitor exigua properantes trajicit alno,
Regalemque domum, Paulique ad littora sistit [1]
Accipiens naulum, jactati premia remi.

En, ante oculos, Borbonius naturae corporisque habitum, quasi vividam speciem, qualis sit quidam causarum actor, vel causidicus, sic exprimit

« Hic aliquis, cui Syrma togae regalia verrit
Marmora, cui manicae grandes, et pileus ora
Quadrifido velat cornu, jam praepes et audax,
Vix pubescentis primaevo flore juventae,
Nec linguae nec vocis inops, si forte resolvat
Tres rubras leges, teneat si quinque Latina [2],

---

1. Duplici ponte, de Via Sancti Jacobi ad carcerem vulgo dictum *Chatelet,* Sequanae ripae jungebantur ; vocabant *Magnum et parvum Pontem.* Hinc, parte superiore, ad littora Sancti Pauli, et, parte inferiore, ad *Regalem domum,* per cymban portitor conducebat. In libro Stephani Bolaei, cui inscribitur, « *Le livre des métiers* (I. 236, édit. 1879) legitur : « Li singes au marchant doit un. d., se il pour vendre le porte. Et se li singes est à home qui l'ait acheté por son déduit, si est quistes. Et si li singes est au joueur, *jouer en doit devant le paagier, et pour son jeu doit estre quites de toute la chose qu'il achète a son usage.* Et ausi tot li jongleurs sunt quite por 1 ver [s] de chançon. » Inde vulgo apud Parisios dictum est : *Payer en monnaie de singe,* quod, sine dubio, Borbonio occurrit.

2. In utriusque juris libris, civilis et canonis, legum tituli rubro colore

Verba, duas Senecae gnomas, et carmen Homeri
Dimidium, Ascraeive: Παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω,
Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα, meos contemnet, et alto
Ista supercilio, et gestus gravitate sonabit.

Deinde Academia minatur aliam se terram esse quaesituram, in qua feliciore et benigniore fruatur hospitio, virisque rei literariae magis deditis utatur.

Qui autem Borbonii aetate fuerunt, forsan poetae consentientes, professorum sortem dolebant. Cum vero, extra Universitatem, magistri, sine frumento stipendioque, in scholis pueros docebant, cur professores, quasi mercenarii viri, pecunia tantum parta doctrinae praeerant?... Exspectandum tamen est usque ad Ludovicum XV, donec Academiae magistri, quibus displicebat pretio atque mercede educationis majestatem minui, vectigal, quod exigebant a discipulis, rejiciant. Anno enim 1769, jussum est ut artium magistri pretia vivendi usurparent e fiscalibus *vehiculatione* prolatis, quorum ipsis vicesima nona pars distribui deberet [1].

In alio poemate — « *Scholasticus parisiensis* » — Borbonius non sine lepiditate, scholasticam describit vitam. Inducit adolescentem quemdam, cui magnae sunt cupiditates, opes vero minimae. Queritur miser ille de duris temporibus quibus vivat; optat ab aliquo viro divite adoptari quem veris parentibus praeferat. Dein iis verbis suam expromit futuram agendi rationem :

« Tunc et fumantes in parvo ponte popinae
Atque intra muros quot sphoeristeria, et extra
Saepius invisi, quam me schola vana magistri
Accipient; hic quos patris indulgentia nummos
Sit largita mihi, in ventos et in aera mittam. [2] »

---

scribebantur; inde, nomen *Rubricae* ad leges ipsas est translatum : « se ad *album* ac *rubricas* transtulerunt. » (Quintil. XII. 3. 11. —) « Si quid Masuri *rubrica* vetavit. » (Pers. v. 90.)

1. *Archives nationales.* AD, VIII 4. A Decreto statutum est, 14 aprilis. — Appellationem qua, hoc in loco, utor ex titulo cujusdam monetae, sub Nerva imperatore, sumo. Cf: Cohen, *Nerva.* 143. (2e Edit.); Marquardt und Mommsen : *Römisches Staatsrecht,* 2ter Band, 2te Abtheilung, p. p. 987-987.

2. *Poematia exposita,* p. 79.

Nonne talia legenti quasi quaedam succurrit recordatio verborum adolescentis illius quem Rabelasius sic loquentem profert : « Nous transfrétons la Séquane, au dilucule et crépuscule. Nous déambulons par les compütes et quadrivies de l'urbe,... puis cauponizons es tavernes méritoires.... » ? [1]

Haec, quae adest, imago est cellulae, in quâ juvenes studiosi habitabant.

« ..... Hic tenues suspendit aranea telas ;
Illic instratis mantilia sordida mensis ;
Hinc odor erumpit teter, jacet urceus inde
Haud tersus, totoque illota escaria mense.... »

Talibus ludicris, Borbonius, qui e suggestu publico descenderat, literas paulo remissius fovendo, relaxabatur. Carmina vero in novas laudes eruptura mox scribebat, cum ad graviores accederet materias. Historiarum enim poeticus scriptor factus, Henrico quarto per nefas sublato, « *Diras in parricidam* » composuit et Jacobo Davidio, cardinali Perronio dedicavit, tanquam « pietatis erga patriam et ejus optimum parentem testes atque indices. » Quam gravis vehemensque, in versibus perpolitis, Henrici victorias enumerat, depingitque Regem mediis in triumphis expirantem!

« Ergo triumphata victor despexerit Alpe
Italiam, ruptamque fidem feliciter ultus
Allobrogis, captas Mavorte receperit urbes :
Hibernasque nives, rigidique incommoda caeli
Et saevos toties latrantis Sideris aestus
Pertulerit ? Toties acie congressus, Iberos
Et conjuratas invicto robore turmas
Prostrarit ? Devicta manu tot bella, tot urbes,
Et concussa imis radicibus alta Pyrene,
Haecne exhausta ideo duri discrimina fati,
Ut pace in media, mediis penetrabilibus urbis,
Ante suos cives, moestique ante ora senatus
Altera Tartareis caderet ceu victima cultris ?

1. *Pantagruel.* II. 6.

Borbonii *Dirae* tanto plausu comprobatae sunt ut bis in Gallicam linguam translatae sint : primum à D. Chamflour, qui eas sic inscribit : « *Exécration sur le détestable parricide, traduit du latin de N. Bourbon par D.J. Champflour Clairmontois* (Paris, 1610-in 8.) : iterum à J. Prévost, cum eo titulo : « *Les Imprécations et furies en vers françois, traduites du latin de N. Bourbon.* »

Cardinalis Peronius, in laeti animi pignus, Borbonium in Scholam Regiam revocavit illumque Crittonio, Eloquentiae graecae professori, successorem creavit. Vir autem doctissimus ita novum exercuit officium ut antecessorum nemini imparem sese exhibuerit.

Diras secutae sunt *Ludovici decimitertii Querelae*, qui patrem amissum deflet, et *Regis inauguratio*. Deinde *Bellum Juliacense* prolusit Borbonius, in versibus quos Guillelmo de L'Aubespine, Aurelianensi episcopo, inscripsit. Hujus enim avunculus, Marescallus Castraeus, huic praefuerat expeditioni, et « velut alter Fabius, cum omnia domi perdita putarentur, per aequa pariter et iniqua loca incolumem exercitum traducens, speciem majestatis Gallicae, exteris gentibus ostentaverat. »

Borbonius autem, amissa valetudine, praesertim insomniis crudeliter fatigatus, post annos octo, non modo se regio munere abdicavit, sed etiam, tranquilliorem secessum meditans, in Oratorium Parisiense, otii et pacis amantissimus, sese recepit. Quo autem animo admissus fuerit ab omnibus, testatur P. Bertini, tunc Romae degentis, ad Berullium epistola (Kalendis Martii, 1620) : « Maxima nos cum laetitia, inquit, accepimus D. Borbonium congregationem nostram esse ingressum. »

Novae hujus sodalitatis (condita erat anno 1611) exordia inspicienti, quantam brevi gloriam esset comparatura, difficile sane fuit suspicari. Quamvis enim a Beato Francisco Salesio laudata saepius fuisset, et perutilis nuncupata; quamvis per nonnullas jam serperet Galliae provincias et curiosissimum quemque vere sacerdotalis vitae attraheret et quasi alliceret, multos quidem theologiae, multos sacrorum librorum, multos denique concionis sanctae peritos in se continebat, literarum

vero paucissimos. Quare et novum quoddam decoris genus secum Borbonius attulit, et illam, ut ita dicam, aperuit viam, quae a multis postea, non sine laude aliqua, explorata est.

Jam vero totus in eo fuit ut Deo viveret et amicis. Neque poesim tamen, quidquid contra esset pollicitus, dereliquit. Nempe inania esse et in arena scripta poetarum sacramenta, quis est qui nesciat? Igitur pulcherrimos versus,de quibus postea tractandum erit, anno 1623, velut *Propempticon* libri Berullii, *De statu, majestate et magnitudine Jesu* composuit. Paulo post, afflante iterum musa, Scevolae Sanmarthani obitum vere Virgiliana lingua deploravit. Quibus cum poematibus jam senescentem famam renovasset et rursus in ore esse coepisset omnium, oblatum sibi a Capitulo Lingonensi canonicatum licet non recusaverit, tamen non solum inter Oratorianos remansit; verum etiam *collare linteum,* — quod erat hujus Congregationis proprium, — vestimento addidit. Imo solebat per jocum dicere « sibi, ut ex professore Oratorianus fieret, nulla re alia fuisse opus, nisi ut ex manicis ad collum linteum transferret. » [1].

Eodem tempore, cum Lingonibus versaretur Borbonius — liceat mihi, precor, vitam poetae totam sequi, utpote existimatione dignissimam — a Balzacio abalienatus est. Quam discordiam, — quippe quae ad literarum pertineat historiam — paucis verbis referre me juvat.

Dignus quidem Balzacius est, qui in antiquum honorem restituatur. Primo enim mane agrum suscepit excolendum, nec ceteris nisi metendi laborem reliquit. Scilicet, et quidquid in lingua nostra parum decebat, amputavit, et, primus, intellexit vel in oratione soluta numerum quemdam oportere servari, qualem Malherbius in poesim introduxerat.

Ideoque non obstitit elaborata concinnitas, non obstitit nimia stili cura quin jure diceretur eum : « tantum ostendisse in operibus ingenium, ut ad efformandos postea egregios scrip-

---

1. *Menagiana*, I, p. 315.

tores plurimum posset conferre [1]. » Idem vero tam bene qui esset noverat, tantis se efferebat laudibus, adversariorum denique tam impatientem se exhibebat, ut quasi sponte superbia sua simultates in se moveret. Cum igitur, *princeps eruditorum*, divulgatis epistolis, esset vocatus, contradixit juvenis quidam religiosus, nomine Andreas de Sancto Dionysio, et mordatiorem protulit libellum, ut ostenderet a plurimis sive praeteriti, sive praesentis temporis viris Balzacium in eloquentia fuisse aequatum. Inde factum est ut nonnulla aut pro Balzacio aut contra Balzacium scripta fuerint. Porro et ipse Borbonius liti se immiscuit, et Balzacio, quo jamdiu amicissime utebatur, maximis plenam laudibus misit epistolam.

Qua, tribus post annis, in publicum prolata, iratus Borbornius quod renovata esset jamdiu sopita contentio, atque in diem prodiissent jactae in mortuos insectationes « *Apologeticas commentationes ad Phylarcum* » scripsit : quae, quó plus elegantiae, quo plus vigoris exhibent, eo etiam longioris causa odii fuerunt. Nam tardi ad ignoscendum auctores ; tardissimus autem Balzacius. Dissidium componere frustra conatus est Franciscus Guyetus, Burdigalensis, utriusque viri amicus. Qui, cum bili attribuendum dixisset et tristitiae quód Borbonius deliquisset : « Longe alia causa est, respondit Balzacius ; quidquid sacrificiorum voluerit, faciat :

Nil vota furentem,
Nil delubra juvant. »...

Addebat « eum immerito lienem incusare ; superiorem esse, et in ipso cerebro inquirendam mali originem ; misereri se hominis, et sexaginta annorum doctori ignoscere, quod in adolescenti discipulo vix venia dignum fuisset ; dolori quam diligentissime modum imponere, et pristinae familiaritatis memoriam malle retinere, quam in subitam ruere inimicitiam. » Nunquam tamen eo pervenit irae Balzacius, ut de Borbonii ingenio male loqueretur : eum in epistola quadam anni 1637

1. Bruerus : *Des ouvrages de l'esprit.*

« latini sermonis peritissimum » vocat, et hoc primum futurae pacis indicium fuit.

Nam reconciliata tandem inter aversos gratia fuit Capellani opera, cui Borbonius ipse curam negotii hujus commiserat. Nec diutius recusavit Balzacius dextram porrigere : « Malis cupiditatibus, inquit, valedicere constitui, ut cum animae saluti, tum vitae tranquillitati providerem. Quare et pro malo bonum reddere volo, et a D. Borbonio incipere [1]. » Renovata igitur amicitia est, et compositi de restituta concordia versiculi latini, qui ad nos usque pervenerunt.

Balzacius hoc epigramma condidit :

Borbonius et Balzacius, ostentato bello, iterum amici....

« Et Pater inter se Damon, et alumnus Amyntas
Bella gerent, sancta pectora juncta fide ?
Non ita; in Elysiis dabitur discordia campis
Secretosque pios deseret ante quies ?
Scilicet has rediturus amor praemiserat iras,
Imo erat in laeso tunc quoque corde Deus ;
Vos tamen, o Musae, o Charites, jam vincla parate,
Ne, licet usque redux, sit fugitivus amor. »

Huic epigrammati Borbonius respondit, elegion, quod sequitur, conscribendo :

« Annis florentem famaque salutat Amyntam
Ille novo Damon dictus honore Pater [2].
Incessit ne animis discordia talibus ? Ullas
Scilicet, hos inter, traxerit ira moras?......
Dotibus eximiis et amari est dignus Amyntas
Omnibus, et magno dignus honore coli.

1. Balzac : *Œuvres*. In-fol. I, p. 736.
2. Hic, Borbonius in conspectu habet nomen quo inter sese Oratoriani utebantur ; huic appellationi adversabatur, tituloque *Domini* tantum erat contentus.

.... Quicumque infliget Amyntae
Vulnera, se Damon, sentiet ipse pati,
Et qui scribendo cedet, non cedet amando,
Arte minor Damon, par sed amore senex [1]. »

Interea Lingonibus Lutetiam Borbonius redierat, et insperato ornatus fuerat honore. Cum enim vellet cardinalis Richellaeus inscriptiones latinas pinacothecae suae imaginibus addere, poetae nostri operam rogaverat : inde inter viros illos exorta consuetudo, quae tribus annis duravit, nec omni nebula caruit. Nam quodam die, cum Cardinalis ipse hanc inscriptionem in ducis Montis Lucae imagine incidendam composuisset : « *Multa fecit, plura scripsit, vir tamen magnus fuit* », Borbonii judicio, omisso auctoris nomine, illam proponi jussit. » Tum poeta : « *Breviario* sane, inquit, digna res est : adde *Alleluia*, et eximiam ad *Magnificat* habebis *antiphonam.* » Audita, Cardinalis, ea responsione : « Recte, inquit, judicavit ; sacerdos enim fecit. » Sed Borbonium annua defraudavit pecunia.

Hunc tamen annuum reditum magna in rebus gerendis industria Borbonius meritus est.

Ut Richellaeus multorum odia et iras in se convertit, ita, ob praeclaras res a se pro patria et Rege gestas, multorum quoque suffragiis et studiis probatus fuit. Vix putes quot poematibus Cardinalis laudes a vatibus celebratae sint. Innumeri pene sunt libri qui, Richellaeum efferentes, tunc in lucem eduntur.

Oratoriani in laudes ejus parcius eruperunt ; non quod, minus ac ceteri, magnis in rempublicam beneficiis, de qua bene meritus erat Richellaeus, accenderentur ; sed quod, Cardinalis benevolentia et favore cumulati, *illum et dona ferentem*, — nec sine injuria, — reformidabant. Richellaeum, enim, post Berullium mortuum, sciebant praeposituræ Oratorii generalis cupidine tactum fuisse, nec ignovisse quod sibi alium praeelegerint.

Ex Oratorianis poetis, duos tantum reperi qui Richellaei glo-

1. *Poematia exposita.* — *Appendix;* pp. 171-172.

riam versibus laudativis sunt prosecuti : Borbonium et Petrum Berthaldum.

Prior multa carmina in honorem magni Cardinalis scripsit; inter quae, poema, cujus haec inscriptio : « *Ad illustrissimum et eminentissimum Cardinalem ducem Richellaeum trieterica; sive res ejus consiliis, regis auspiciis, triennio gestae* » Illi successerunt *Libellus supplex*, *Panegyricus Hostifugium* sive *Gratulatio et ara Lugdnunenis*.

Rupella expugnata, devicti Angli, religionis reformatae sectatores, qui tunc iidem et rebelles erant, superati, Austri fracti, latinis vicissim musis extolluntur.

Novum Sorbonae fundatorem egregius professor et poeta talibus alloquitur verbis:

« O quantis terras et amicum obstrinxeris olim
Muneribus caelum ! namque et de sedibus illa
Aethereis illapsa tuae sapientia menti
Non aris per te propriis, non aede carebit.
Sorbonae, huic, mediis habitanda palatia tectis
Exstruis, ut princeps, illa se jactet in aula
Laxior, haud luxuve fluens, aut freta caducis
Rebus, et insani captans spectacula vulgi,
Sed pompa procul, ut nostris impervia regna
Sensibus, et solos animarum cogitet orbes,
Monstret iter caelo, vitae et speranda futurae
Praemia, et arcani reseret penetralia mundi » [1].

Borbonius, Richellaeo mortuo, *Idyllum* quoque misit ad Augustum Poterium, Bellovacensem episcopum, cui aspirare visa est aliquanto beatior favoris aulici aura, cum in Reginae Annae maxima gratia positus, sperabat se Richellaei heredem fore et imperio esse potiturum. De instaurato iterum bello ingemuit auctor noster, optatque ut pax Gallos Hispanosque a diuturnis odiis reconciliet. Uterque enim populus, concordia confirmata, orbem terrarum in deditionem subiget.....

1. *Poematia exposita*, II, p. 43.

« Uno pene die nostris victoria castris,
Atque gubernaclis (non haec sine numine Divum
Proveniunt) Anna est admota recentibus, unum
Nunc nomen genitricis amans, oblita sororis,
Pacatos donec jungat concordia reges
Pristina, divulsi coëant et foedera mundi :
Irarum nam quis tandem modus ? Anne furoris,
Atque odii nondum satis est ? Tot sparsa cruore
Arva ! Tot alternis rubuerunt cladibus amnes !
Quo, populus junctis si conspirasset uterque
Viribus, infidum sua sub juga mitteret orbem,
Atque Asiae multum et Lybiae lugeret ademptum
Turca sibi exueret ritus et terra profanos
Barbara, legitimos et haberent bella triumphos [1].

Mutatis nominibus, quis nostrum, hanc quoque pacem hodié non precetur?...

Borbonium tamen, anno 1637, mortuo Joanne Bardino, Richellaeus in Academicorum numerum retulit. Tanto se munere indignum existimabat Borbonius, et conjunctissimo amico confitebatur « se sermonis nostri esse inscium, latini parum peritum, nec jam propter senectutem posse novi quidquam discere. » Eadem fere est Balzacii ipsius ad Capellanum scribentis sententia : « Quid tibi, inquit, de novi collegae nostri electione videtur? An putas eum aut Academiae utilem fore, aut nos in excolenda lingua nostra posse multum adjuvare ? Quasdam ejus epistolas olim tibi ostendi, quae puro Bardorum Druidarumque stilo elaboratae sunt. »

Ceterum, ut parum utilis Academiae Borbonius fuit, ita cathedram brevi tempore occupavit. Nam, post septem annos, obiit in Oratoriana sancti Honorati domo, atque in ea cella, quae quatuor vix salutatoribus, teste Menagio, idonea semper salutantes tamen excipebat. Alii enim, ac inter doctissimos melioris notae, audiendis judiciis, quae suum ingenium acuerent, aderant,

1. *Poematia exposita*: II, p. 165.

alii de probandis literariis operibus, Borbonii censura, veluti Lydio lapide, sententiam consulebant.

Tanta ornatus fama, ad septuagesimum ferme annum jucundius senuit, et sensim, deficientibus vitæ principiis, inter præclaros christianae religiosaeque pietatis affectus, animam ad Deum feliciter dimisit, die 6 mensis Augusti, anno Domini 1644.

Ejus excepit locum, in Gallica Academia, Franciscus Salomon. Hunc mortuum omnes defleverunt. Exstat magnae in doctissimum Borbonium observantiae monumentum a suis amicis exstructum, scilicet: *Nicolai Borbonii in Academia Parisiensi Eloquentiae Graecae Professoris regii tumulus* [1].

Petro Berthaldo historia praesertim visa est literarum pars nobilissima, cum ex rerum praeteritarum exemplis ea petantur consilia, quae in futurum prosint. Domestica facta in unum fasciculum composita, cui titulus est *Florus Francicus* [2], jam in lucem ediderat. Post autem Rupellanum bellum, quod apud Gallicanos catholiços tantum moverat mirationem, novam expeditionem, Cardinalis Richellaei auspiciis, in Italia feliciter confectam, canere conatus est. Inde factum est ut non minus ad voluptatem quam ad veritatem *Bellum Italicum* nuper commotum versibus ornaverit, carmenque protulerit, cui inscribitur : *Casallum bis liberatum*, sive *Belli Italici pro Mantuano duce feliciter confecti duplex expeditio* [2]. Illud Richellaeo his verbis dedicavit, quibus finem suum exponit. « Vix, inquit, profligatis iterum ac tertio terra marique Anglis, capta Rupella, domesticis compositis, externa Regem bella evocant, quibus ille pari quam domestica exstincta sunt felicitate conficiendis, non aliis quam tuis consiliis uteretur. Itaque, victis Alpibus,

---

1. Parisiis, apud R. Sara, 1649.

2. Petrus Berthaldus, anno 1600, Ruglis, in Ebroicensi regione, natus est; anno 1622, Oratoriensis societatis tiro primum factus, deinde presbyter evasit. Massiliae, Nannetis, Trecis, docendi talem rationem instituit ut magnam famam adeptus sit. Suum avunculum, Achillem de Sancy, Maclopolensem factum episcopum, secutus est. Mortuus est, anno 1681, senio et laboribus confectus. — *Florus Francicus* editus est, anno 1630, — in-24, apud Libert, Parisiis; *Casallum* vero *bis liberatum* apud eumdem editorem, anno 1631, editum est.

per Allobrogum Hispanorumque continuas strages, semel iterumque servato Cassalo, Rex christianissimus Mantuam Duci, Ducem Mantuae restituit, et Francorum famam virtutemque tuo ductu attollit, quo tua vicissim fama virtusque attollitur; tantoque altius, quanto hostis potentior, et tot hactenus victoriis ferocior videbatur : Sabaudiae duce, famoso Ligure Spinula, Collaltaeo comite, Deus bone ! quot et quantis hostibus, non tam suo fato quam desperatis rebus suis, pereuntibus ! »

Quale vero propositum peregerit Petrus Berthaldus, planissime explicitum habemus in « *Summa Privilegii* », ubi haec leguntur : « Nostre bien aimé Jean Libert marchand libraire à Paris, nous a fait remonstrer qu'au *contentement de ceux qui s'estudient à l'art militaire et ont désir de s'y instruire par le resouvenir des choses passées,* il a recouvré un livret intitulé : *Casallum bis liberatum*, etc. — » Inde apertum atque dilucidum est vatem nostrum rei historicae potius quam poeticae adhaesisse, legentiumque commodis potius quam jncunditati inservisse.

Bellorum omnium quae, Ludovico XIII regnante, Francos ad arma impulerunt, nullum fere gravius institit quam *Bellum italicum.* Orta enim pro Montisferrati principatu controversia inter Sabaudum et Mantuanum duces, Galliae Hispaniaeque reges, non pro se tantum, sed pro foederatis se quisque gentibus armavit. Accessit ad partes Mantuani ducis Ferdinandus imperator; ita ut, uno in bello, cum potentissimis Europae regibus ac populis nobis fuerit decertandum.

Berthaldus res gestas, quas in *Edyllia dividit*, notitia tam clara quam eleganti narrat.

Primum *Edyllium* italici motus causas, Montisferrati tumultus, et, post captas Albas et Nizam, post alia oppida expugnata, Cazalis oppugnationem, incumbente diligentius Spinola, Hispanorum duce, complectitur. Hanc Cazalis descriptionem animadvertas, precor [1] :

---

1. Duplici vocabulo, Casallum et Casale (*gen.* is.) designatur, in latino sermone, nomen urbis quam hodie vocamus Casal.

« Urbs est Eridani vitreo vicina fluento,
Casale nomem habet, Ferrati Gloria montis
Et caput, ambiguis jamdudum exercita fatis:
Hanc vallo circum et fossis, atque aggere denso
Succinctam, valida nuper Vincentius arce
Munierat : sed enim Austriaco de sanguine quondam
Venturum excidio audierat, sic volvere Parcas.
Id metuens, gentisque memor, quae multa per orbem
Incautas didicit bello subvertere gentes ;
Qua Mediolanae fundunt se littora terrae,
Et Padus aurifluos volvit placido aequore fluctus,
Moenia tuta locat : quadrato impervia saxo
Arx surgit modicoque tumens subit aera colle.
Hic tormenta feros imitantia fulminis ictus
Densa patent, longeque arcent inimica ruentum
Agmina ; subjectam Boreas hinc spirat in urbem,
Et celso effusi cernuntur ab aggere campi [1]. »

Hostibus vero Cazale obsidentibus tempus opportunum erat, occupatis scilicet circa Rupellam Francorum Rege et exercitu. Dedita autem, post annuam obsidionem, hac urbe, Mantuani ducis ejusque gentis animi erecti sunt.

In secundo *Edyllio*, ducis Mantuani oratio ad fortiter obsidionem, quae Casallum claudebat, tolerandam, refertur, et Ludovici XIII, Parisios ingredientis, sic triumphus describitur.

« Regalem interea populosa Lutetia pompam
Victori Augusto, reducique ad moenia Regi
Celsa parat : placitura oculis insignior, altis
Arcubus, et variis distinguit templa columnis !
Cuncta triumphales admittunt marmora vultus,
Et saxis quoque numen inest ; hîc praelia nutu
Temperat, hîc versas acies telo ardua dextra
Asperat, hîc victum supplantat comminus hostem :
Inde serena micat facies, qua laeta coruscant
Agmina ; diversis, Lodoice, animata figuris
Ora placent, seu bella geras, seu forte residant
Proelia, ad expressos suspirat Gallia vultus.

---

1. *Edyllium*. I. fol. 4 et 5.

Qui populi plausus! Quae magnae gaudia plebis,
Cerneret ut reducem vidua ad praetoria Regem! [1].

In tertio *Edyllio,* Berthaldus legationem a Mantuano Duce missam, quae Regem hortatur ad ferendam obsessis in Casallo opem, proponit; nos deinde in Senatum Parisiensem introducit, cujus princeps, Richellaeus, regias copias in Italiam esse deducendas consulit, tanta eloquentia, ut Ludovicus XIII exercitum secum, magnis itineribus, Valentiam mox adducat.

Audi, oro, quomodo Richellaeum loquentem ante nos sistit poeta:

« Non longa hic gravibus quaerenda exordia causis:
Quantula, Rex Invicte, mora est, urgentibus ultro
Rebus obest; semper nocuit differre paratis.
Aut tibi jam pressi servandae Cazalis arces,
Aut suspectus Iber cervici incumbet et armis
Invadet, quod nulla dies, non tota dederunt
Saecula: ni validas posito velut objice vires
Fregeris, immensum dirus furor obruet orbem.
Nec minor inde seges laudis, quam victa rebellis
Factio victori peperit paribusque tropaeis
Insignem, geminae tollent ad sidera gentes.
Quod vereare malum, tua nil Fortuna reliquit:
Non hostem pietas, non bella domestica virtus
Formidat, stant compositis cum quibus urbes:
Exsulat Impietas, Rabies, Furor, Ultio, Erinnys,
Et tua devicti jurant in verba rebelles.
Ergo age, rex qua terra patet qua brachia Nereus
Porrigit, et vastus circum protenditur orbis,
Attonitae discant gentes, superare rebellem
Quam facile, Hesperios tam promptum evertere fastus:
Sic ultor scelerum, populorumque arbiter, aequo
Imperio, immensum late moderaberis orbem [2].

---

1. Cf. librum, cujus hic titulus est: « *Eloges et discours sur la triomphante réception du Roy en sa bonne ville de Paris, après la réduction de la Rochelle* : in-folio, à Paris, chez Pierre Rocolet, 1629 — Gravures faites par Melchior Tavernier et Pierre Firens — (23 décembre 1628.)

2. *Casallum bis liberatum:* p. 32.

Quartum *Edyllium* Regis in Italiam, Alpibus ascensis, ingressum, Susae deditionem, necnon Casalli liberationem narrat.

Vividam pugnae, apud Susam, speciem offerunt versus sequentes :

Jam primas acies et signa micantia late
Explicat, adversum ductor Schombergus in hostem;
Inde equitum properant alae, dein multa juventus
Pone subit, trepidis horret seges aenea campis :
Undique nudatis acies fera surgit in armis ;
Aera cient ad bella viros, motaque cruentas
Signifer ad pugnas Aquila saeva agmina ducit.
Signa micant infesta ; ruunt hinc inde manipli :
Dispositis frons prima armis hostilibus instat
Agminibus : jam rupta quies, jam turbida ferri
Tempestas immane furit, jam plumbeus imber
Sibilat; adversis tormenta ex partibus, atrum
Flammato fumum ore vomunt, lateque ruentes
Proturbant cuneos. Quam multa ex aethere magno
Grando cadit, nubem cum sol maturus opacam
Intrat, et egelidas caelum se solvit in undas.
Infamis ferit arva lues, et turbine diro
Icta ceres languet; vulsis radicibus arbor
Fusa jacet, vitisque malo percussa cadenti
Foedat agros, et spes avidis cultoribus aufert.
Sic Bellona furit, sic tristia funera miscet
Insani Mavortis amor, dum sanguine fuso
Alternae rubuere manus; cadit undique densa
Allobrogum manus, et rarae ad certamina turmae
Disjectaeque acies, maestam compulsaque in urbem
Agmina; nec sunt tuta satis fugientibus urbis
Moenia, et excelsis redimitae turribus arces:
Longius ire juvat, tergoque instare feroces
Franciadum credunt populos. Spectabat ab alto
Colle acies, quae cuique foret sub pectore virtus
Lodoicus, qua parte monens vehementior iret
Impetus, unde equitum turmae sequerentur et uno
Obtutu diversa docens : calcaria forti
Subdit equo properatque avidus certaminis, ille
Tenderet in medias acies et fulminis instar

Vaderet immixtus nebulis, nisi territus hostis
Aspectu fugeret commotas Principis iras.

Prosequitur deinde Berthaldus, pacem dicens continuam in Gallia, cum Rebelles apud sancti Privati fanum tandem fuerunt devicti.

Reversus vero in Galliam Ludovicus XIII, vix trimestri pace, quam in Italia subjecta pepigerat, fruitus est. Hispani enim, contumeliae ulciscendae cupidi, immemoresque pactorum, quibus, etiam apud Barbaros, nihil est religiosius ac sanctius, iterum moveri coeperant. Colaltaeus, qui Imperator, cum triginta millibus armatorum, erat nuncupatus, Mantuanum agrum invasit, Spinulaque, novis auctus titulis et honoribus, Montisferrati campos suis implevit copiis. Sabaudus dux iterum in Gallicum Regem sese verterat novisque delectibus auxiliisque freti Hispani, Casallum secundo obsident, dum Germani, Colaltaeo auctore, Mantuam ferrea corona cingunt et premunt.

Tum Ludovicus XIII universam Sabaudiam subigere, Alpes denuo superare, Pinarolium, Salucias aliaque ad montium radices sita oppida expugnare. Tunc autem, Mantua manifeste prodita a Germanis diripitur, urbsque illa capta hostium animos ad laetitiam excitat. Sed, insperata a Cazalo eruptione, mox Cariniana clade et postea Veillana, Monmorantio, Effiato, ac Tremolio ducibus praecipuis, Hispanorum et Germanorum hilaritas reprimitur.

Spinula moritur; quem vix sepulcro defossum, sequitur Carolus, dux Sabaudiae, senectute et rerum suarum clade fractus.

Ludovicus XIII, cum Lugduni, gravissimo morbo correptus, jamjam mortem subiturus erat, praeter spem, sanitatem recuperavit.

Quo quasi duce redivivo, Schombergus, Forcius, Mariliacus Casallum obsessum liberaverunt et Ducem Mantuanum in ditionem restituerunt.

Hos tantos tumultus pax secuta est quae, Ratisbonae, conditionibus pro Francia gloriosis, composita est, (1630), et postea in *Cherasco* (1631) est confirmata.

Transcribere mihi fas sit preces Ludovici XIII, jamjam morituri, ad Beatam Virginem Mariam, cui, teste Berthaldo, tunc se voto astrinxit :

« Voce pia insequitur supplex : « ô culta mihique
Aeternum veneranda, Deo dignissima Mater :
Scilicet hoc de te merui, languentis adesses
Nempe malo ; morbumque gravem succincta foveres
Paeonium in morem, praesensque ad vulnera stares
Hygene, totusque mihi serviret Olympus ?
O quam te memorem, Virgo ! non me Itala bella
Securum, non Gonzagae pia causa quietum
Esse sinent, quin (Virgo,) tuas revolutus ad aras,
Digna feram figenda tuis donaria templis ;
Virtutumque tholis, primi qua Solis ad ortum [1],

---

1. Hos versus transtuli, quibus Ludovicus XIII suam erga Virginem Mariam pietatem testatur et aperte manifestat. Praecipua enim sanctuaria enumerantur in quibus, signis et miraculis rite probatis, praesens Virginis tutela non vane invocabatur. Primum, situm in pago Alberti Villaris, multis ab hinc saeculis, patrociuio et nuncupatione Sanctae *Mariae a Virtutibus* gloriatur, ex quo, post pluviam pernecessariam, anno 1636, caelitus impetratam per intercessionem B. Mariae Virginis *Virtutes* non quaslibet facere non desiit Deus. Anno 1618, Ecclesiae hujus cura sacerdotibus Oratorii commissa est.

Si *Salmurii* memor est Ludovicus VIII, *Ardilliensem* Virginis statuam veneratur, quam, ab anno 1454, hic populi reverebantur. Notitiam istam transcribo e codice manuscripto Salmuriensi :

« La chapelle de Notre-Dame-des-Ardilliers, étant devenue une des plus » célèbres et des plus fréquentées du royaume, Messieurs de la ville de » Saumur délibérèrent de donner la dite chapelle aux prêtres Minimes, mais » Monseigneur d'Angers ne voulut pas y consentir.

» Ils jugèrent alors qu'ils ne pouvaient la mettre en meilleures mains » qu'entre celles des prêtres de l'Oratoire qui commençaient dès lors à » donner des marques de leur zèle et de leur piété dans les lieux où ils » étaient appelés. Ils firent plusieurs assemblées de ville pour l'exécution » de ce pieux projet, et enfin ils donnèrent procuration à M. l'abbé de Bour- » gueil avec pouvoir de présenter requête au Roy au nom de la ville.... » Cette procuration fut signée de tous les principaux habitants, le 27 février » 1614, et la requête présentée à sa Majesté au mois d'Aoust de la même » année....

» Cette demande fut reçue agréablement du Roy Louis XIII^e d'heureuse » mémoire, et il accorda des lettres patentes portant que la chapelle de No- » tre-Dame-des-Ardilliers était octroyée à perpétuité aux prêtres de l'Ora- » toire, avec les maisons, terres, rentes, possessions, meubles, ornements, » argents, biens, aumônes, qui ont été ci-devant et pourront être faites cy

Flava Parisiacam fecundant aequora gentem :
Salmuriique aedes longo mihi tempore visas
Accedam, testisque Liger mea vota precesque
Audiet, et riguas evolvet gratius undas,
Tantaque vicini repetent miracula colles.
Tum qua finitimos contingit Gallia Belgas,
Laudunensis ager, famosae ubi Fana *Liessae*,
Regia dona feres ; hic prisco more, perennes
Pendula vibrabit flammas argentea lampas.
Lauretana Domus superis portata ministris,
Bruttia ubi tellus superum prospectat in aequor,
Non immunis erit, nec si mihi templa subire
Et lustrare nefas, huc me voto alite, tollet
Trans Alpes Pietas, Apenninique nivosum
Culmen, et augustas mea munera sistet ad aras.
Sarratum Montem, sacroque insigne paterno
Carnutum, et tereti pendentem vertice *Grassam*,
Aut visam, aut sacris donaria regia mittam
Fornicibus, nullique meo sine munere postes [1]. »

Berthaldi Edyllia cum multa apud doctos gratia fuerunt excepta. Petrus Valens, Graecae Litteraturae professor Regius, *Epigrammaton* auctori misit, in quo legitur :

« Res magnas noster gessit Lodoïcus, et Alpes
  Victor transcendens, oppida multa quatit...
Sed ne tempus edax, annorum ac longa vetustas
  Tolleret ex animis inclyta facta ducis,
Berthaldus cavit, victuris omnia chartis
  Mandans, Francorum consulit historiae...

» après et généralement toutes les choses quelconques qui lui appartiennent » et en dépendent.

» Sa Majesté se déclare, en même temps, *fondateur de la dite maison et » église de Notre-Dames-des-Ardilliers,* donnant pouvoir de construire et faire » toutes les acquisitions que les dits prêtres de l'Oratoire jugeraient conve- » nables pour leur établissement, à la charge de prier Dieu pour la prospé- » rité, pour le repos et la tranquillité de son royaume. »

1. *Edyll.* VII, p. 154-55). Ad *Grassae* custodiam Oratoriani ponebantur — Domus *Lauretana,* si festo fidem adhibueris quod in Ecclesia Romana celebratur, 10e decembris, sub Caelestino Quinto Pontifice, e Judaea, prius in Dalmatiam, deinde in agrum Lauretanum, per Angelos, fuit translata.

Orator suavis, scriptor bonus, historicusque,
Juncta quibus pietas religionis apex. »

Germanus de Vauchelles, in Academia Parisiensi Philosophiae professorum Decanus, suo collegae se junxit mirantem laudantemque, cum tali elogio opus Berthaldi extollit :

« Nec Latium Aeneam, nec Graecia jactet Achillem:
Richelio nullum sol videt usque parem.
Firmavit Tros Roman, ubi Trojam stravit Achilles:
Richelio invictos constet utrumque decus.
Materiae ingenii vires cum feceris aequas;
Par etiam nil sol viderit huic operi. »

Has tantas laudes, et quidem versibus pravis expressas, hodie, magni risus forsan consequantur. Serio tamen, tempore illo, dicebantur et audiebantur, cum latini versus, per se ipsos, qui excolerentur digni judicarentur ; cum etiam latini poetae, qui excellebant, gallicis vatibus fere anteponerentur. Non infitiandum tamen est inter viros illos qui antiquitatis studia ad linguae latinae, et praesertim poeticae rationem revocabant, Berthaldum nostrum dignitatem vindicare suam ; ita ut historiam ornatius dicat, et, veritatis amans, elegantiore modo res gestas explicet.

Alius Oratorianus, Andreas Clercquius [1] Italicam expeditionem celebravit, adeo belli hujus difficultatibus, quibus Suza et Casallum tandem expugnata fuerant, animi omnium percellebantur.

Ludovico XIII mortuo, regnavit Ludovicus XIV qui, dum puer erat, sub regimine Matris Annae Austriacae, regnum iniit victoriis pulcherrimis decoratum.

Oratoriani non defuere qui illam adolescentis regii inaugurationem ad citharam cecinerint. Quos inter, Petrus Josephus

---

1. Andreas Clercquius Societatem Oratoriam, anno 1624, ingressus, Vindocini, Cenomanis, Nannetis litteras egit; a Patre Adry judice, post Borbonium, e poetis Oratorianis inclytissimus. Tragoediam edidit, *Balthazar*, latinis modis scriptam, Vindocini, anno 1649. Praecipuum ejus opus inscribitur ; *Sylvarum libri II*, cum *Miscellanaeorum libro singulari* : Vindocini apud Hyp, in-18, 1637. Legatur, hoc in opere, poema, *Expeditio Italica*, pag. 91-102.

du Vachet [1], qui Condaeo, tanquam strenas, poesim de *Victoria Lentiaca* mittebat.

Poeta noster, historici scriptoris vices gerens, quomodo factum sit praelium, per partes narrat. Diù enim anceps stetit pugna, ita ut res in summo discrimine fuissent, nisi Condaei perspicacitate et virtute hostium acies, cui Leopoldus Austriacus et Beckius praeerant, tandem esset impulsa. E du Vachet ipso audire licet Condaeum glande plumbea, inter pugnandum, molliter tactum fuisse.

Tum Furnis, quamvis in te plagasque, necesque
Ardenti ore vomant, male coctos ejice fastus
Fumosi Hispani : te glans hinc missa veretur
Atque tuum libat, genio moderante, cruorem [2]. »

Quosdam tantum versus, quibus scribendi genus vatis nostri satis pulcre redditur, proponam. Condaeum tandem victorem his alloquitur verbis, in quibus, summa cum gratia, Santolium defunctum simul desiderat:

« Salve magne ducum Princeps : Divûm, Heroümque
Proles, atque pater : Regalis portio prima
Sanguinis : aethereae mentis qui numine pacem
Asseris, et dextrae moderaris fulmine Martem :
Bellonam superans, et totam Pallada docta
Armataque manu : Phoebi labor altisonantis
Pieridum sudor : famae intolerabile pondus,
Attoniti stupor orbis. Iniquis versibus audax
Te, tuaque aggressa est fari mea Musa tropaea
Parnassi miranda Deis : mea *Lentias* aures
Forte tibi obtundit salebris, oculosque molestis
Offendit maculis, nec te cognoscis in illa,

1. Belnae, in Burgundia, natus est. Ibidem, in collegio Oratoriano postquam Rhetoricam didicit, Vindocini et Riomi, Rhetoricam et Philosophiam professus est. Mortuus est apud Burdigalam, anno 1664. Ejus *Poemata* venalia exposita sunt apud Franciscum Ernou, Salmurii 1664.

2. De illo eventu pulcherrimum illud epigramma du Vachet quoque scripsit :

Principis ante pedes desaevit fulminis ictus;
Quid mirare ? suum noverat esse Jovem.

Cf. *Mémoires du Maréchal de Grammont* : f. 421-436 — *Montglat* f. 98-102.

Vituperasque tuas indigno in carmine laudes?
O si stati animos, atque hostis acumina possem
Lucani, ingeniumque Ovidi, Flaccique sonorem;
Vim, numeros, pondus, Majestatemque Maronis
Divini, totumque tibi consumere Phoebum!
Tunc mea cultu oculos, concentu *Lentias* aures
Pasceret, inque illa te, Martie ductor, amares,
Et quisquis Musas toto colit orbe latinas.
Scilicet egregio laudabunt carmine fictos
Heroas vates, et Cæsaris arma tyranni;
Proh! pudor! Et virtus, verusque silebitur heros?
Di, prohibete nefas, et sint sua proemia magnae
Virtuti, et vero Æneae redhibete Maronem.
Qualis erat vates pulchrae *Rocroidos* autor,
Qui præli meruit Regalis carmine lucem;
Entheus, atque operum felix. Heu! Invidus illum
Morbus, et immitis tulit inclementia tabis
Cantantem, et sacras mors fulminat impia lauros.
Hunc Phoebus, Pallasque gemens, doctaeque sorores
Extinctum flevere, everso fletibus amne
Obstupet, et murmur maestum infremit Hippocrene,
Ecquis erit magno in Latio qui carmina functi
Versibus, atque tuas, Dux invictissime, palmas,
Lauro aequet, famamque tuba? cui Regia rursus
Praela vacent, magnaeque aspires numine mentis?
Non mihi vis tanta est, nec eo me dignor honore,
Pentiademque meam: satis est si mollibus horis
Cum facilis blando descendis ad infima vultu,
Hanc verses ludente manu, carmenque serenus
Ore legas hilari [1].....

Praecipua laude commendant Oratoriani poetae viros illos principes qui ex domo regia oriundi, *Vindocinenses* nominabantur. Constat enim inter omnes nihil fuisse his viris excellentius vel vitiis, vel virtutibus. Adde quod beneficiorum memores, Oratoriae societatis presbyteri consensu quodam miro et concentu, illorum principum laudibus delectentur. Etenim, Caesar, *dux de Vendôme*, Oratorianos sanctissimo loco reposuerat, dotaverat, protexerat et adolescentibus in literis et bonis

1. *Pœmata*, pag. 166-167.

moribus informandis, Vindocini, ita praeposuerat, ut mox, inter lauros educata, juventus morum sanctitati liberales artes maritaret [1]. His ludis literariis faverunt quoque Caesaris filii et nepotes: in Caesaris quoque successores mansit Oratorianorum animus gratus, cujus multa exstant monumenta scripta, e quibus videre est quomodo in bene meritos gratias retulerint pares. Ex iis erga Vindocinenses principes gratiae pignoribus et indiciis nonnulla omittere necesse habeo; quippe quae nimis multa poemata in gloriam talium virorum edita fuerunt. Quosdam tantum vates proferre in animo habeo; quos inter, praesertim, Andream Clercquium nuper jam denunciatum, Jacobum Morellum, et Marcum Toutblanc.

Primus suas *Sylvas* Duci de Vendôme, Caesari, dedicavit. « Patere, inquit, agris sylvisque nostris illustre tuum nomen praefigi, ne tuae voluptati nutritas belluas ignobilis aliquis temere venator insectetur. Id tibi, quo nos prior magnifice ditasti, non impari liberalitate rependimus. Ingredere tuis deliciis consitum nemus, Princeps excellentissime; erit quo obnubilatum quandoque animum serenabis, grata palmarum tuarum umbra dulce requiesces, sanisque corpori venatibus, te nobis perpetuo incolumem aeternumque praestabis. »

---

1. Collegium Vindocinense gubernandum accipiebant Oratoriani a duce Caesare ipso vocati, anno 1620. Mox domus nova Scholasticorum celebritate notabilis fuit. (Arch. nat. M. m. 228 — M. m. 577 — S. 6797.) Collegium suum primo vir ille magnus Jesuitis regendum obtulerat, et, his renuentibus, denuo Oratorianis proposuerat. Cum autem res bene in novo Ludo se agerent, Jesuitas poenituit tam felicem occasionem praetermisisse. Rursus ad Caesarem accedentes, sua sponte se tanquam magistros obtulerunt. Quibus benigne exceptis dixit Caesar: « Solertiae et scientiae vestrae testimonium mihi praebebitis, si quidquid in hac cruce inscriptum est, scilicet J. N. R. J. interpretabimini. — Nihil facilius, responderunt legati: his verbis, significatur *Jesus Nazarenus Rex Judeorum*. — Erratis, inquit Caesar, et vehementer erratis: istius inscriptionis talis est sensus gallice : « *Jésuites* N'*auront* R*ien* I*ci*. »

Nonnullo post, Caesar, qui Blesas inspiciebat, in Collegium Jesuitarum, eo in loco fundatum, ingressus, ab alumnis acclamatus est : « *Domino feliciter !* » Cum autem a principe ferias postulassent, ferias concessit per sex menses duraturas; ita ut alumnorum parentes, tanti pertaesi otii, illos in collegium Oratorianum Vindocinense miserint. (*Histoire de Vendôme et de ses environs,* par l'abbé Simon : 3 vol. in-8, à Vendôme, chez Henrion-Loiseau : II. p. 205 et seq.)

Maximis Caesarem poeta laudibus celebrat, multisque de causis. Quas inter praecipuam canit quod *Castrum Vindocinum* princeps restauraverit [1]. Dein res gestas in bello commemorat, imprimis in expeditione Batavica.

Dicit enim *Salvos Batavos per excellentissimum principem Caesarem* [2], cum vir ille strenuus in praelio apud Satinghen (2 septemb. anno 1630) sponte sua, pro libertate Bataviae dimicavit. Gallia bellis tunc vacabat. Sed tam diuturni impatiens otii, dux Caesar in voluntariae militiae disciplinam proficiscens, Batavis adversus Hispanos dimicantibus auxilio venit. Hunc poematis locum enumeratione dignum credo, in quo Clercquius Caesarem suum otio marcescentem depingit :

« Ergo Borbonio praeclarus stemmate Caesar
Henricoque satus, consumi inglorius annos
Perferet, et longa vires mollescere pace ?
Non adeo pretiosa quies ! Juvat inclyta Martis,
— Sic amor est, — vexilla sequi, vitamque pacisci
Laudibus, et patriis lauros subnectere palmis.
Sed quoniam innumeris dudum satiate triumphis
Aeterna Francos requie, Lodoïce, beasti,
Externis (sic Martis amor) sudare sub armis
Fata jubent : nec enim famae seges aurea fortes
Destituet : nec sese adeo permittit amori,
Quid nova Mars alacres in bella accendat alumnos.
Defuit Aesonidi patriis quo clarior arvis
Heroum numero sese transcriberet astris.
Ergo intentata, Tritone stupente, procellas
Exiguis trabibus, terrentibus undique monstris,
Sulcat, et ignoto certamina suscitat orbi [2]..... »

Nonne mirandum est qua arte poeta veritatem dissimulet?

Caesar enim, post captivitatem plurium annorum [3], exsilio quoque, per quatuor annos, damnatus fuit ; et, dum exsul agebatur, in Bataviam profectus ita se viriliter et heroice gessit ut omnium existimationem ad se attraxerit.

---

1. *Sylvae*, p. 33.
2. *Id.* p.p. 17 et seq.
3. In castello Vincenensi, (1626-1639).

Qua in expeditione, et, ut dicit Pater Clercquius, in « Belgiaco Duello », inter sese dimicabant diversi populi :

> « Hic Italum Venetumque phalanx, hic gallica certat
> Nobilitas; hic saevit Iber, Mixtisque Panonis
> Sarmata, et innumeris Regina Batavia turmis. »

Cum autem, quadam nocte, iunumeris per Scaldim navibus, sibi vias Hispani quaererent, quo suis terris Martem excuterent, Caesar insidias sensit, et fortitudine evasit. Audias poetam nostrum, precor:

> « Jamque propinquabant ripis, pontesque parabant,
> Cum subito Caesar venientibus obvius instat.
> Sed quoniam conferre manus, et comminus ense
> Decertare vetat pavidae distantia classis :
> Fraenari impatiens, medias se librat in undas,
> Infixusque luto, plumbatas undique glandes
> Ridet, et instantes solus sustentat Iberos. »

Ceterum, ante Caesarem ipsum, cum veri principis effigiem delinearet Pater Clercquius, oratione prosa, dicebat : « Nolite tenuitati meae extorquere, ut talis hic coram appareat qualis in hac fuerit expeditione, cum primus limosas paludes, nemini unquam tentatas intrepide transmitteret, tota nocte vigil, armisque lividus litoribus insisteret, cedentibus labore ceteris, sese ipsumsolus obduraret, providus ad murmur terrae procumberet, tacitosque hostes auribus exciperet; ad remigantes medio defixus luto sustineret, socios inter nocturnas umbras generosa voce firmaret, et immensam tantoque sumptu comparatam classemad foedam deditionem compelleret [1]. »

Easdem laudes repetebat postea Pater Jacobus Morellus (Moireau), cum *Caesari duci de Vendome, de Mercœur*, anno 1649, ex Italia in Galliam redeunti carmen panegyricum dicabat [2].

---

1. *Miscellanea*, p. 73.
2. *Jacobi Moireau congreg. Orat. D. J. Sacerdotis Poemata* : ex officina Petri Le Petit, in-12. Parisiis, 1663 — p. 134 et seq.

Quot et quantas res bellice gestas a principe commemorat! Rebellium, in Gallia, catervas debellatas, Vasconiam, quae diris factionibus opprimebatur, Regi suo redditam, Batavos maximis periculis ereptos, Hispanas acies, Brabantosque devictos! Longius repraesentat poeta bellum quod in regionibus Galliae meridianis administraverat; narrat quoque quomodo, anno 1625, tempore quo Sobizius Blaviam portum cum classe occupabat, advolaverit Vindocinensis Dux, qui Britanniae minori tunc praefuerat, et hostium classem, praetentis ab utroque portus cornu validis rudentibus, incluserit.

> « Est arx armorico longe contermina ponto
> Qua portus fauces vastum sinuatus in aequor
> Porrigit, adversisque patens obvertit Iberis;
> Tunc Blavium, sed nunc *Lodoici nomine Portus*;
> Cujus ab adverso memorant Trieterica matrum
> Nesiades, multaque ululatum Maenade litus [1].
> Hic se provectus, pacis per amica sequestrae
> Tempora, Santonici versans spe somnia regni
> Bella superstrato Sobizius aequore spargit,...
> Huc ubi conspexit (Caesar) comitum affluxisse novorum
> Ingentes animos, et Martem audere paratos,
> Jam non huic labor est, praedonem avertere muris;
> At classem portu virtus exosa minantem
> Exclusisse cupit, pontoque arcere fugaces.
> Inde Arx, hinc solo rupes distermina portu
> Attollunt geminos ab utraque crepidine moles;
> E quibus in medio suspensos marmore funes,
> Atque catenatam religat sub gurgite fraudem [2].

In easdem gratulationes erumpunt poetae Oratoriani, si quid in filios Caesaris, Mercurium scilicet et Belfortium, canunt. Prior, cui nomen Ludovicus, Dux Mercurius, fuit, natus anno 1612, sese patri in expeditione Batavica primum laboris et gloriae socium adjunxerat. Clercquius hunc celebravit in Encomio,

---

1. Adversus Blavium collocantur Venetiae insulae seu Nesiades, in quibus Amnitae mulieres Dionysium saltationibus et sacrificiis colebant.
2. *Poemata*, fol. 140, et seq.

quod et versuum nitore et stili facundia magnum poetae ingenium demonstrat. Posterior Caesaris Vindocini natus, multo illustrior factus est. Quippe qui rerum novarum cupidus, magnam sui famam relinquere gestiebat, quamvis facinoribus gravissimis gloriam quaesiverit. Postea vero, cum aetate tum experientia hominum, quae seris venit ab annis, ad meliora sese convertit : in Regis gratiam reductus, Regina Anna placata, Par Franciae supremusque Francicarum classium commercii et navigationis in utroque mari praepositus est creatus. Nec paternae gloriae, nec tantae dignitati impar, animum, quem ex exemplis suorum, tanquam e perenni patrimonio, capiebat, alacrem praebuit et erectum, cum adversus Turcas, praesertim, profectus est. Quo in bello, post Candiam obsessam, a Musulmanis captus, morte ignota occubuit. (anno 1670.) Cum, anno 1658, a morbo graviore valetudini restitutus fuit, *Soteria* cecinit Marcus Toutblanc, qui in collegio Vendocinensi literas humaniores docebat [1].

Heroa sic alloquens, suae curriculum vitae natura et gloria immensum describit; et simul fratrem Mercurium attollit :

« Tempore sed nec te memoro, mi Caesar, eodem
Praepositum arcanis regni, Francisque relictum,
Scilicet absenti modereris ut ardua rege,
Consilii sublime caput. Sacraria regni
Te penes, haud unquam tanto commissa magistro
Ingentes Francis dignato impendere curas.
Dum petit armatos Belgas, dubiisque minatur
Urbibus, et trepidos terret Lodoicus Iberos,
Dunkerkam domat, et *Portum* praedonibus aufert,
Consilii caput interea sublime verendi
Regno, Caesar, ades; sic dum coelo arduus Atlas
Defuit, Herculea mundus cervice pependit.
O Caput, o mentem coeli terraeque capacem
Caesaris, o quantus rerum mihi nascitur ordo,
Si tua permittam cupidae praeconia Musae.

---

1. Vindocini : Ex typis Sebastiani Hyp.

Quam dulcibus vestit poeta coloribus Belfortium, qui, belli et rerum novarum oblitus, Vindocini pacificam degit vitam!

. . . . Heu quibus ille
Jactatus fatis, quae tempora longa peregit
Cum solis tranquillus agens commercia Divis;
Ignotusque viris, regnoque ignotus, et Aulae,
Vindocinis contentus agris, contentus honore
Numinis, et superis cultu parere fideli,
Assiduus templis, succurere pronus egenis [1],
Solvere carceribus vinctos, miserosque levare,
Afflictas audire preces, et verba rogantum
Dignari gemitusque, et amicas reddere voces,
Pauperibus facilis, cunctis prodesse laborat;
Nulla bonis momenta vacant, nec Vesper inanem
Pertaesumque videt, Titus cum saepe doleret
Effluxisse diem vacuum, meritisque carentem [2].

---

1. Institutionis Ptochodochii mire studiosus erat, cujus cura nuper erigebatur.

2. V. 255 — 305. Poema illud multis viris fuit miraculo, si ex omnibus laetitiae et mirationis testimoniis conjicere liceat, quae, in volumine, versus Patris Toutblanc sequuntur; nonnulla tantum afferam.

Reverendo
Admodum Patri
MARCO TOUTBLANC
Congr. Orat. D. Jesu
Presbytero.

Epigramma in soteria.

Qui functos moerent, consignatos que sepulcris,
  Ablatosque canunt Febre vel ense viros,
Dent luctus atri funesto carmine vates,
  Carmina tu vates candide laeta canes.
Hi tristes corvi, referunt dum nigra, vocentur,
  Candida tu memorans, Candide, Cycnus eris;
Et tua jam docti melius per carmina Cycni,
  Cantabant vitam, qui cecinere necem.

(Joannes Durand, Congreg. Orat. D. I. C.)

Idem ad Lectorem.

Hoc lege, Divinum cupies qui scribere carmen
  Divinus Marci carmine scriptor eris.

In tanta rerum bellicarum serie, inter quas Ludovicus XIV patris locum excepit, transmittuntur silentio eximia opera, digna tamen quae a poetis celebrarentur. Vel si versibus sunt ornata, in oblivione tanta jacuerunt ut ne mentio quidem in catalogis reperiri potuerit. Ex iis rebus quae Ludovici XIV regnum illustraverunt nonnullas tamen existimo esse referendas, quibus demonstrabitur quomodo tunc rex sese gesserit. Quis autem, magis ac Fucquetus, senserit quam multas habeat, ut ait Plinius[1], « Vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis,

---

Au R. P. Toutblanc sur la convalescence de Monseigneur le duc de Beaufort.

SONNET.

Esprit rare, et fécond dont l'art ingénieux
Respand dessus nos maux les douceurs des Abeilles,
Qui dans un dueil public de couleurs sans pareilles,
Rends d'un Prince adoré les malheurs précieux ;
Le mal pour l'attaquer assez ambitieux,
Croyant ternir l'éclat de ses hautes merveilles,
L'a rendu plus brillant par tes sçavantes veilles,
Que ne sort un Guerrier d'un combat glorieux.
Toy qui lis ce chef d'œuvre et dont l'âme charmée
D'un torrent tout divin voys sa veine animée
Arreste un peu le cours de ton noble transport :
Car quand de cét Héros il tracera l'Histoire,
Si tu ne fais icy sur ta langue un effort
Que te restera-t-il pour couronner sa gloire ?

(I. de la Chetardie (Angoumois.)

Quibus respondit poeta « ad nobilissimos Epigrammatographos, » per « carmen retrogradum, » in quo Disticha reciprocantur :

Distichon primum.

Carminibus mea se jactant quam carmina vestris,
Talia non vati sunt data Virgilio.

Reciprocatio.

Virgilio data sunt vati non talia vestris
Carmina se jactant quam mea carminibus.

Distichon secundum.

Virgilii mea non laudi par gloria, nobis
Demite, reddentes quae sua Virgilio.

Reciprocatio.

Virgilio sua quae reddentes, demite nobis,
Gloria par laudi non mea Virgilii.

Etc.

1. *Panegy. Trajani.*

ex adversis secunda nascantur? » Vir enim ille, vel noxius, vel innocens, — historici adhuc certant — fortunae secundae illecebris captus, a summo honoris gradu in summam calamitatem inopinanter incidit. Multos tamen inter Oratoriae societatis presbyteros numeravit amicos, quamvis Ludovico XIV in invidiam venerit. Quod colligendum nemo non neget ex poemate quodam, quod Pater Baherius condebat, cum hac subscriptione : *Fucquetus in vinculis, ad Dei matrem* [1].

Auctor vero, Joannes Baherius, Castillone, in dioecesi Andegavensi natus, Congregationem, anno 1659, ingressus est : Rhetoricam, Trecis, Massilliae et Cenomanis docuit; dein, *Scriba ab Epistolis*, Congregationis factus, usque ad annum obitus sui anno 1707, permansit.

Oratorianorum poetarum, post Borbonium forsan princeps existimatus est, nec immerito, si e poematibus tam editis quam manuscriptis sententiam tuam ferre velis [2]. Toto, ut dicitur, pectore effusas audi querelas, quibus Fucquetus (1664), ex humilitate et miseriis, quas indigne patitur, se emergit animoque erigit :

« Ille ego qui quondam summa ad fastigia vectus
Francigenum moderabar opes, quem longa clientum
Mane salutabat spatiosa per atria turba;
Ille ego tot procerum socius, quem tota colebat
Gallia, quem populi toties dixere beatum;
Nunc miser indigno clausus sub carcere, vitam
In tenebris luctuque traho, nunc miles inermem
Obsidet armatus, pilisque minacibus instat.
Mens concussa malis, varioque agitata dolore

1. Poeseos illius versus numerantur 162, quos in *Codice Manuscripto* (*B. N. F. Gal.* 23. 353) facile evolvas. Errat Dominus Clément, cum in sua *Historia Loviaca* inducit Fucquetum ipsum, a se, his versibus factis, querentem. Erravit quoque doctissimus vir D. J. B. Hauréau qui in « *Bibliothèque du Maine* » dixit poema numquam fuisse editum. Quanto melius credas auctori illi, Ansart nomine, qui (*Bibliothèque du Maine*, 1784, in-12. fol. 80) versus illos typis mandatos fuisse opinatus est, tamque feliciter, ut brevi omnium in manibus fuerint. Exemplar unum inveni in Genovefana Bibliotheca, Y. 419.

2. (B. N. F. Gal. 25. 442.) — Cf. : *Archives nationales*, *M. M.* 613, p. 500.

Haeret, et incerta est quid primum defleat : uno
Cuncta mihi sunt rapta die, dulcissima conjux,
Pignora cara tori, libertas, census, honores,
Praedia, rura, domus, et magni gratia Regis:
Nec mihi de tantis superest nisi futilis umbra.
Haec equidem cruciant animum, tamen acrius illud
Pungit, et ardenti transfigit viscera telo,
Quod regni pro laude labor susceptus, et ingens
Curarum series, patriae consumpta tuendae
Vana cadit, tristesque refert pro munere poenas:
Quin etiam illa fides, omni quae carior auro,
Quaeque prior mihi luce fuit, vexata malignae
Vocibus invidiae, media mordetur in aula;
Sic decus interiit nostrum, sic fama tot annis
Parta mihi, subita cecidit labefacta ruina.
Hinc novus exsurgit moeror, graviusque recursat,
Quaesturae cum gesta meae mandata libellis,
Scriniaque, et pluteos digestaque computa fisci,
Unde laboranti possem succurere causae,
Accipio periisse mihi : casune dolove?
Has inter salebras, tanta in caligine rerum,
Qui me consilio, prudentique adjuvet arte,
Nullus amicus adest : horum (nisi rumor inanis
Nuntia falsa tulit) pars nostro territa casu
Majorique inhians fortunae, turpia vertit
Terga mihi; pars impositum mihi crimen acerbat
Insultatque malis : quae pars mihi fida remansit,
Arma per, et latis circumdata moenia fossis,
Huc penetrare nequit : crebris stationibus omnes
Quippe aditus tenet infaustae custodia turris.....
Nunc mala me febris, nunc longi taedia torquent
Carceris : ipse novos etiam mihi suscito luctus
Ingenio fingente; subit namque obvia Mater
Saepe mihi, largis perfundens fletibus ora,
Extorresque domo fratres, prolesque parente
Orba suo, et sponsae non digna ferentis imago :
Tristior ire dies, nox longior esse videtur,
Apparent que animo majora pericula veris.
Haec est illa mei species; haec ampla faventis
Praemia fortunae; sic me extulit illa per altum,
Mox ut præcipitem traheret; sic dulcia fallax
Pocula porrexit, quo me satiaret amaris. »

Deinde miser ille, sese ad Virginem supplex humilisque conversus, talibus orat verbis ut sui meminisse non dedignetur :

« Ergo age rumpe moras, Virgo, mea vincula rumpe,
Et promptam fer mitis opem. Si nostra retardant
Auxilium delicta tuum, si segnis honores,
Diva, tuos colui, si debita pensa remisi,
Si tua saepe meis non fovi altaria flammis,
Ignosce, o Virgo, nec jam quid nostra merentur
Crimina, sed lacrimas generosae respice matris :
Respice ut illam eo penitus confossa dolore,
Ante tuos effusa pedes, noctesque diesque,
Indefessa gemit ; quantum discrimine nostro
Anxia, Te, precibus, Divosque hominesque fatigat :
Respice ut illa suas renovat pro paupere curas,
Ut levat in morbis, ut dura compede vinctum
Asserit, ut miseris incumbit tota juvandis
Nullaque non tentat, nato paritura salutem :
Nec te, diva, latet, thalami ut fidissima consors [1]
Ipsa quoque assiduo pulsat sacraria planctu,
Neque sibi reddi querulis Te vocibus orat.
Si neque Te matris, neque Te suspiria tangunt
Conjugis, at moveant Tibi quos infantia fundit
Insontes gemitus : teneri mihi namque supersunt
Quinque domi fetus, uxor quos sedula nutrit,
Et monet esse pios ; horum vox una per aedes :
« Quo pater hinc abiit? quis patrem sustulit error !
Redde patrem, Virgo ; tristes, sine patre perimus ;
Vivimus, ô Virgo, si des patris ora videre. »

Quis neget poetam illum, qui talibus se lineamentis informavit, animum tam ad honestatis, quam ad artis rationes direxisse, in eoque pietatem simul et fortitudinem habitasse, quando causam suam cum Fucqueti, pene ab omnibus derelicti, salute, spreta potentissimi regis ira, conjungebat ! Adeo sub Ludovico XIV, Oratoriani non modo blanditiae assentationis que pestem non probarunt, funditus vero repudiarunt !

1. Cf. in *B. N.* (F. Gal.), 23. 353 : ibi reperies epistolas Fucqueti, duosque libellos ejus uxoris Ludovici XIV misericordiam efflagitantes.

Quidquid tamen artis obtinuerant, id ita impendebant ut posteritati proderent res memoriae dignas, quae, id aetatis, suam gentem, non Galliae modo sed et exteris populis, conspicuam faciebant.

Praecipua trahebat eos, nescio qua ratione, cupido viros qui aliqua navali gloria florebant, versibus ornandi et, qui, quasi maximo mercatu vitae, Anglos, Batavos et Hispanos, mari, pertinacissime debellabant. Navalium certaminum beneficio contigit, ut nonnulli Oratoriani memoriae ea tradentes, nobilissimae nostratum historiae, pro viribus, consuluerint. Ex eis autem, qui in heroum maritimorum rebus versati sunt, nemo est qui praeclariorem splendorem praestet quam Pater Petrus Tissartus cujus antea commemoratio est facta. Hujus enim poema cui inscribitur « *Vindicta infelix seu irritum Anglorum in Maclopolim consilium* » verborum delectatione et ornamentis ante ponendum ceteris omnibus mihi esse videtur. Quod facinus, non sine magna audacia, Turvillus perpetravit. Qui quidem, vim vi repellens, Smyrnensem classem in aequoribus ibericis diruerat (1693). Ultionis avidissimi, huc et illuc, Angli, ratibus instructis, agi; hostili incursu naves deducere, ferrum flammamque parare; fines nostros populari : praesertim Maclopolis, cujus portus aditum semper facilem et refugium nautis Gallicis praebebat, ruinam minari. Vates praedictus, postquam nisus illos enarravit, hanc descriptionem comparat :

« Inferna infernis fabricatur Machina dextris.
Principio trabibus condunt, et robore duro
Navigium sublime, ingens, quo plurima Nitri
Pondera conjiciunt, stupam, paleamque, picemque
Sulphura, scloposque, et secti fragmina ferri,
Aeraque et instructas nitrato pulvere glandes,
Horrendas glandes; quae sena per ora furentem
Evomerent late flammam; quam vincere nulla
Undarum vires, infusaque flumina possent.
Tam fera duratus lateris pons arma tegebat;
Qui vi flammarum disjectus et actus in auras,

Funeres valido dispergeret impete moles [1].

Hostium vero spes, inceptis male susceptis, ad irritum ceciderunt. Idem ille poeta, in Prosopopeia, Pacem quaerentem, demonstravit, quo anno a Ludovico XIV (1690) oblatam pacem dux Sabaudiae, Victor Amedaeus, recusaverat.

Actum est jam de poematibus ab Oratorianis in laudem Ludovici Magni conditis.

Multa tamen exstant alia, vel privatis viris dedicata, vel Proceribus. Quae omnia si evolvas, nonnullam tibi forsan delectationem afferent, praesertim si ea legas quae ad Oratoriam societatem pertinent. Non tamen silentio praetervehendam censeo declamationem quamdam poeticam, qua, auctore Patre Berthaldo, celebrantur *Trecae, Campaniae urbs principalis, — ad Urbem, Clerum, senatum, populumque Trecensem* [2].

In hoc opusculo, quod Berthaldus, tanquam grati animi pignus edidit, postquam Oratoriani Trecensium virorum suffragio in publicum docendi munus sunt vocati, legere est fere totam urbis historiam, ex antiquitatis et famae prioris monumentis erutam. Illud scribit auctor e *Pithoeano,* id est, e domo quam eruditissimus ille vir et juris peritus, Franciscus Pithoeus, anno 1617, suae dederat civitati, ut ibi fons scientiarum studiosae juventuti aperiretur.

Berthaldi poema, rapido quasi incursu, res gestas, pace et bello, Trecis et in Campania enumerat. Musa prius advocata, quid consilii coeperit, dicit poeta, his versibus :

... Praeclarae dicam primordia gentis
Dicam gesta, et opes, et avitae stemmata Trojae.

Situm deinde civitatis, qualis fuerit, tunc sic describit :

« Qua se fertilibus fundit Campania terris
Arvaque multiplici sinosus Sequana gyro
Lata rigat, populosa viris ; valido aggere, tectis

---

1. *Carmina varia,* p. 11.
2. *Trecis*, apud natalem Moireau, 1631.

Ampla jacet, sacris longe notissima templis
Inter Francigenas urbs praestantissima gentes,
Clara situ laeto : veteres dixere Tricassim.

Si vero originem Trecarum repetit Berthaldus, non dubitat illam Trojugenis tribuere. Neminem fallit quanto studio proavi nostri famam hanc liberius quam verius, qua eorum superbia gaudebat, assecuti fuerint. Non solum a poetis, sex etiam a rerum historicarum scriptoribus, asserta et propugnata magnam sibi fidem in Gallia, per multa saecula, fecit. Hanc medii aevi vates, et gallici, et latini praedicant ; hanc sexti decimi saeculi, auctore Ronsardo, scriptores rursus magnis laudibus extollunt. Quam eo modo Berthaldum persequentem audiamus:

At gentilitiam si fas est prodere vocem,
Fictaque verba sequi, Teucro de stemmate Trecos,
Hectoreoque satos credas de sanguine cives :
Namque ferunt olim, Phrygiae post eruta gentis
Pergama, Priamidem multo cum milite Francum
Dardanium Latiis regnum dum surgeret arvis,
Illyricique sinus Henetique Antenora magnum
Exciperent, spreta primum Maeotide, tandem
Adductum profuga Gallorum ad litora classe,
Et posuisse domos recidivaque Pergama gentis;
Indigenisque Prygas mixtos, de nomine, Francos
Appellasse suo; felicis et vbere glebae
Illectos, sedem fixisse, vbi Troia resurgens
Redderet amissos aliquot post saecula honores,
Aut si fata obsint votis, saltem altera gentis
Surgeret effigies, priscaeque simillima Troiae.

Urbs nova brevi floruit. Nundinae, in ea, celebrabantur famosae, quibus diversae opes mercatores alliciebant. Subito vero Barbarorum incursu praeceps fere ruit tanta prosperitas. Collecta ex Asiae finibus ingenti hominum multitudine, vastatis omnibus, qua iter ad Rhenum et trans Rhenum fieret, regionibus, civitatibus solo adaequatis, Attila, Hunnorum dux, Trecas obsidione gravi jam erat pressurus cum civitatem in anceps periculum adductam liberavit sanctus Lupus, Tricassinus episcopus, qui Attilam accersire ausus est.

Ergo animi fidens, pulsa formidine, caelo
Securas monstrante vias egressus, ahenas
Laxarique fores, totamque incedere pubem
Imperat: hostiles animos, et saeva cruenti
Ora Scythae, insolitus venientum exterruit ardor.
Ast vbi Mystarum longo adfuit ordine Praesul,
Horret ad aspectum, tantae fera corda repressit
Majestatis honos, vultusque micantior astris
Leniit ardentem : foeta nam Tigride nuper
Saevior, humanum sumit (mirabile) pectus;
Audit Pontificem, et posita feritate, jubentis
Imperio stetit ille Lupi : namque ignea circum
Tela rotant, visae coelo descendere turbae,
Ni faciat. Ceu fulmineus micat aethere turbo,
Terroremque minax agris flaventibus infert:
Ast vbi sidereos vibrat sol aureus ignes :
Discutitur damno Typhon resolutus inani:
Aut cum Tyndaridae stellato vertice fratres,
Commoto fulsere mari, cadit ocius orta
Tempestas, cessant undae, fluctusque residunt;
Sic posuit terrorem hostis, viso Attila Diuo
Mitescit; mora nulla; cohors inimica recedit.
Inde Rhemos properat, tum se vis bellica flexit
Ad Ligerim Aureliam donec circum ambiat urbem.

Hunnorum in locum postea successerunt Normani, qui, multo ferociores quam primum venerant, anno 892, redierunt, et Trecam incendio deformatam immaniter vexaverunt.

Praeterea si quid magni monumenti, quod temporum serie incitaretur, evenit, id Berthaldus concinne narravit. Satis habeo, pro ultimo testimonio, afferre quomodo templi sancto Petro consecrati aedificationem, architecto Hervaeo, descripserit, et ecclesiam ipsam depinxerit.

« Crevit opus magni eximia pietate Milonis :
Absumptumque iterum flammis, majoribus auxit
Molibus, et priscos aedis renovavit honores
Hervaeus : nunc summa manus fastigia ponit,
Qualia nec Delphis Phoebi delubra, nec alta
Deliacae gentis, Lyciaque insignia sorte

Templa olim nituere Deo Pataraeque Clarique;
Non Triuiae quondam domus admiranda Dianae,
Non Parisiacae turres, non Gallia quidquid
Tota stupet. Pro quanta virum simulacra piorum,
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus aedis!
  Virtutum hic videas medio sub limine vultus,
Bissenos hinc inde Patres, caelique Parentem
Librantem dextra verbo quem condidit orbem:
Humanae autores stirpis cum prole tenella
Stant laeva et dextra, tumet omnis imagine postis.
Francorum hic vivunt incisi marmore Reges
Praecipui pietate; putes incedere pictas
Effigies, solusque deest cum lumine motus.
  Si subeas, quantus rerum se fulgor ocellis
Objiciet? Picti postes, mollique labore
Sculpta micant simulacra, duas hinc inde gemellis
Porticibus curvarialas mirere, lacunar
Flexum arcu, camerasque suis haerere columnis,
Ac medio pendere tholo: quae forma beatis
Arte manus concessa locis? non clarius olim
Phidiacum radiavit ebur, non Zeuxidis arte,
Aut Polycletaeo simulacra vigentia caelo.
Parrhasium sculpsisse putes; stat jaspide postis,
Sectilibus fulgens crustis, Parioque nitescit
Marmore, diversis junctura opulenta sacellis,
Et referunt patrios caelata toreumata Divos.
  In medio late videas subsellia, sacros
Exceptura Patres, solito cum more vocandum
Numen, et afflictis Divum solatia rebus.
Quae facies? quae defixi moderatio vultus?
Quanta sedet menti Pietas? quis cultus honoris
Divini? Superum credas astare cohortes,
Et veterem aligeros arcam stipare ministros.
  Lucida quid memorem picto spiracula vitro,
Sacra quibus verae vivunt mysteria legis?

Berthaldus deinde in viam a qua declinaverat, opere perfecto, redit, cum viros qui Trecis aliqua rerum gestarum gloria floruerunt, recenset.

Solum hoc urbi restabat, amoena

Musarum sedes, doctos ubi Pieris imbres
Funderet, et priscos gentis repararet honores.
Hic ubi florerent reduci PASSERTIVS umbra,
PITHOEIQVE DUO, nostrae ornamenta Thaliae,
Et decus: offusas turpi caligine Musas,
A tenebris foedoque situ clarissima gentis
Lumina Francigenae, longo asseruere labore.

(V. 675-682).

CAPUT TERTIUM.

DE POETIS QUI RES HISTORICAS AD ORATORIUM IPSUM PERTINENTES SCRIPSERUNT.

Aliud genus rerum, quae tanquam materies, Oratorianorum versibus subjecta sunt, spectat ad ipsam Congregationis historiam in qua, quidquid boni vel mali evenerit, exponunt : eo tamen modo ut praeclare ac juste factorum studium grave quidquam et modestum retineat. Non ideo illud est hoc loco praetermittendum quod pertinet ad ingenium Oratoriae societatis, quale fuerit, melius agnoscendum.

Primum, si temporum series evolvitur, tenet locum *Propempticon* quod Jacobus Morellus (Moireau) ad Patris Senaldi *Monarcham* quasi ascripsit. Per multos libros [1] jam notus erat Senaldus, cum operam navavit ut opus suum *De monarchâ* conscriberet [2]. Innumeri pene sunt eo tempore, qui de virtutibus Rege dignis et aptis ad onus regni, cum laude principis simul

---

1. Petrus Senaldus, a patre, qui Henrico IV iter ad regnum sepserat, Antuerpiae, anno 1601 natus, Oratorium ingressus est; brevi, ob eximias ingenii dotes, praeclaramque pietatem clarior factus, eloquentiae sceptrum sacrae tenuit ; anno 1662, Praepositus Generalis Congregationis est creatus; anno 1671 obiit, memoriam sanctitatis et optimam pro viro famam post se relinquens.

2. Typis mandatum fuit anno 1662, cum titulo : *Le Monarque ou les Devoirs du Souverain*, chez Pierre le Petit in-12, Paris.

et utilitate populi, sustinendum, scripserunt [1]. Credas enim artem formandi Regis eo magis necessariam evadere quo durior esset et in unius viri manus strictius cogeretur potestas suprema, quae antea in plura corpora spargebatur. Multas incendit viros cupido discernendi leges et ferendi, quibus tutius Principi et educando et regendo deservirent. Inquirunt diligenter quid subditis conducere, quid nocere possit; quid reipublicae prosit; vias solerter indagant, quibus rex ad suam felicitatem, sed etiam ad utilitatem suorum et ad veram gloriam perveniat. Inter eos qui hanc materiam tractavere, optimus vere judicandus est Senaldus, qui in *Prooemio ad Regem Ludovicum XIV*, quid sibi statuerit sic demonstrat :

---

1. Non proposito meo inutile videbitur hic eorum librorum vel tractatuum indicem referre :

Jacobi primi Angliae Regis βασιλικόν δῶρον, Londini, 1604, in-8.

Antoine Théveneau, avocat : *Les Morales de Me Ante Théveneau, où il est traité de l'Institution du jeune Prince.* Paris Du Bro 1607, in-8.

De l'Institution du Prince, par Jean Hérorard ; Paris, in-8, 1609.

Le Rozier des guerres composé par le feu Roi Louis XI, et ensuite un traité de l'*Institution du jeune Prince par le S. Président d'Espagnet* : Paris, 1616, in-8.

Hay de Chastelet : *Traité de l'Education* de Mgr le Dauphin : Paris, in-12, 1664.

De l'Instruction de Mgr le Dauphin : Paris, 1640, in-4.

Hardouin de Beaumont de Péréfixe : *Institutio Principis*, ad Ludovicum XIV, Parisiis, Vitré, 1647, in-12.

Recueil de Maximes sur l'Institution d'un Roy contre la fausse et pernicieuse politique du cardinal Mazarin, par Claude Joly : Paris, 1652, in-8.

L'Ecole des Princes ou les Dits notables de Monsieur, par le S. Révérend aumônier et prédicateur ordinaire de Monsieur : 1655, in-8.

L'Escolle des Princes, par M. Pellisery : Paris, 1661, in-12.

Le Dauphin, par P. Roullé, in-12, Paris, 1664.

De l'Education d'un Prince, par de Chanteresne, 1671, in-12.

De l'Education des Enfants, et particulièrement de celle des Princes, in-12, 1679.

Le Livre des Princes, par P. de Lancre ; 1617, Paris, in-4.

La Pratique de l'Education des Princes, par Varillas, Paris, 1684, in-4.

L'Art d'élever un Prince, in-12, Paris, 1688.

L'art de former l'esprit et le cœur d'un Prince : Paris, 1688, in-8.

Les Règles de la vie civile, par l'abbé de Bellegarde, Paris, 1723, in-12.

Institution d'un Prince, ou *Traité des qualités, des vertus et des devoirs d'un souverain :* Leide, 1739. 4 vol. — avec la vie de l'auteur : Londres, chez Jean l'Ourse, 1743, in-4.

Direction pour la conscience d'un Roy, par M. de Fénelon, archevêque de Cambray : La Haye, 1747, in-8.

« Ces grands Princes, qui composent mon *Monarque*, sont des glaces fidèles, qui, vous représentant leurs vertus, ne vous cacheront pas leurs défauts. Car, comme ils sont Rois, ils vous parlent avec une liberté digne de leur condition. Et, comme ils sont morts, ils ne veulent ni flatter, ni être flattés; et ils disent des vérités que les vivans n'oseraient dire à la plupart des souverains; mais ils ont encore un autre avantage qui ne cède point à ces deux premiers : c'est qu'il ne montrent jamais le mal qu'ils n'y apportent le remède et qu'ils ne découvrent point de tache qu'ils n'enseignent le moyen de l'effacer. »

De hoc libro, post connubium regis cum Maria-Theresa, talia tradit poeta, Jacobus Morellus. Fingit enim Ludovico XIV, ante oculos astitisse Lodoicum Patrem, humana majorem imagine, natumqne consuluisse ut sese ad pietatem, Isacidas reges sequendo, exerceret. Deinde prosequitur heros, latius dicendo :

« Hos inter, sophiae studiis excultus, et ingens
Eloquio, sacroque fluunt cui nectare voces
Unus erit, fama scriptorum hic ubere praegnans
Jamque secuturis decus immortale sacravit
Annorum spatiis, nomenque aequarit Olympo....
Et nunc ille tibi egregium et sublimibus orsis
Urget opus ; placidis adeuntem affatibus ambi,
Et cape dona libens. Non hoc solertius alter
Quis regno modus, aut ratio, quid tempore quoque
Conveniat...
Ac primum varias regnorum expendere formas [1]
Ille dabit ; quantas olim subverterit urbes
Noxia libertas, et honorum insana libido...
Hinc disces quantum supra caput extulit omnem
Europam, et Christi signatos nomine Reges
Borbonidum decus [2].

Franciae reges magnis Romanos Pontifices beneficiis cumulaverunt; ideo, ut ait Lodoïcus,

---

1. Senaldi liber in octo partes dividitur : prima sic inscribitur : « *Des différents gouvernements et des avantages que la Monarchie a sur tous les autres.*

2. Secunda autem : « *De la Grandeur du royaume de France.* »

...sua munera nobis
Concessere Dei. Cernis queis faucibus aegris
Foeda lues, utroque tumens lentore fluebat,
Protinus attactu nostro discedere tristes
Choeradas, informemque repente facessere morbum...
. . . .
Hactenus ista quidem; verum majora secutus (Senaldus)
Provehitur studio, quantum castissima Regem
Religio, pietasque decet, qua sospite nunquam
Regna ruunt... [1]
Nec satis est, si compositis non moribus ornat
Hunc apicem; stabit Regnum probitate Regentis.......
Interea doctas non aspernarier artes
Praecipiet, seu cum populos mulcere furentes
Eloquio, et blandas Legatis reddere voces,
Coetibus in mediis, procerumque astante corona
(Conveniet)... Indulge studio, veteres quique ordine fastos
Et transacta retro seclis volventibus et qui
Describunt totum spatiis breviaribus orbem [2].
Dixit et in tenues fugiens evanuit auras
Lodoïcus linquens meditantem plurima secum
Progeniem, monitusque datos, venturaque fata. »

Poeta concludit, Senaldi librum alloquens :

« I liber, et sacris aulae in penetralibus astans,
Pande salutares monitus, legesque severas
Imperii, cunctosque doce per saecula Reges. »

Non minorem, opinor, ex ea *Monarchae* descriptione quam e ceteris poematibus famam, nec immerito, sibi Jacobus Morellus peperit. Paribus cum plausibus in lucem idem ille vir edidit

---

1. Tertia : « *Des Devoirs du prince envers Dieu.* »
2. Quarta deinde : « *Des devoirs du Roy envers soi-même :* » quo in capite prescribit Senaldus studium Ethices, Rei politicae, Geographiae et Historiae — ita ut dubitari interdum possit utrum ipsum loquentem an Bossuetum audiamus : « Le Prince apprendra, *inquit disertissimus auctor,* qu'il n'y a rien de stable, ni de permanent dans le monde ; que les Estats périssent aussi bien que les souverains et qu'il est sur leur teste une Providence qui règle aussi bien la durée que l'étendue de leurs Royaumes. Il s'entretiendra avec les morts, qui luy parleront avec plus de franchise et de liberté que les vivants. »

Eucharisticon Nicolao Pinette, qui, anno 1658, in Lutetiae suburbanis, domum, ut tironum refugium, magnis sumptibus extruxerat[1].

Nunc iterum redeo ad Baherium, cujus nonnulli versus, ad Mascaronem missi, satis bene illius magni oratoris famae congruunt, et bene cordatum simul et elegantem poetam probant[2]. Baherius tunc per feriarum tempus, Trecis, otio paululum indulgebat. Eo vero tempore suum discipulum, quem antea, Massiliae, dilexerat, Mascaronem subito morbo fuisse correptum audiit, et rursus ad sanitatem reductum : cui haec soteria scripsit :

«Nunc, populis tua fama quibus non cognita clari
Nominis ? aut notus queis non in partibus orbis
Mascaro ? Cui famae jandudum insigne paternae
Et decus, et seris mansura volumina saeclis,
Ac docti monumenta patris stravêre benignum
Laudis iter. Nam, Phocaïcis orator in oris,
Nobilis Astreae interpres, Themidisque sacerdos,
Et juris nodos, et legum aenigmata solvit,
Idem aequi rectique tenax, acerrimus idem
Censor nequitiae, seu, dum, mirante senatu
Phocaïco, et populis ultro plaudentibus, ornat
Eloquio Reginam Annam regumque parentem
Fatis ereptam, heu ! nuper crudelibus, Annam;
Seu tibi servatam describere, Roma, salutem
Vindicat exitio, libertatisque vocantis
Jura refert defensa, tibi cum Marcius hostis
Volscorum infestas sua sub vexilla cohortes
Dux ageret, pacem et Patribus, sacrisque negatam
Intentasque minas mater conjuxque feroci
Extorsere viro[3].

---

1. Exstat nunc quoque domus, quae Gallice vocatur : *Hospice des Enfants trouvés*, in qua eximiam Berullii statuam, de marmore factam, videre erat, quae hodie in collegio Juliacensi reponitur. Diu incertum fuit quis eam sculpserit. Ex indicis, quae in *Chartis publicis* inveni, affirmare possum sculptorem fuisse Sarasin. (K. 1248 — n° 4).

2. B. N. F. G. 25 442.

3. Cf. : *Mascaron d'après des documents inédits* par L. Lehanneur, — La Rochelle, 1878.

Antonius Mascaro nomen clarum in literarum Republica sibi fecerat : ut

Baherius fingit Oratoriam societatem, dolore incensam quod mors, Mascaroni, tantae spei juveni, immatura immineat, ante Statuam Berullii suas preces effundere, et, per illius auxilium, pristinam alumno suo valetudinem impetrare. Ex quo fit ut Oratoriam domum, ecclesiam, nec non Cardinalis mausoleum describat.

En domus Oratoriana:

« Est locus, angustam qua praeterlabitur Urbem
Sequana, tollit ubi Luparae se Regia sedes
Admiranda domus, veterum domus ardua Regum.
Illinc vicinae Luparae de nomine, ad aedes
Mystarum Orantum ducit via ; tollit in aures
Templum hic sese ingens ; subque alto fornice templi
A dextra laevaque, pari discrimine, et aequis
In spatiis, aedes Divis posuere minores,
Gens antiqua patrum, sacras et in aedibus aras
A vulgo seclusa suis sacraria clathris [1].

En quoque Berullii Mausoleum :

« Secessit dextra angustum de parte sacellum,
Angustum, magno sed se quod pignore jactet
Angustique opibus dives ; namque ossa quierunt
Illic Berulli, et, candentia marmora subter,
Felix depositum et cineres capit una sacratos...
...Mole super, vivo effigies de marmore surgit
Instar adorantis, qualem sese ipse ferebat
Orando pater, in terris dum vita manebat.
Hinc demissa jacet facies, oculique modesto
Defixi intuitu, nixaeque in mutua palmae,

---

pote causarum actor in Aquaesextiensi Senatu, plura scripserat opera, quorum haec duo tantum ad nos pervenerunt : « *Deux harangues en l'honneur d'Anne d'Autriche ; — La vie et la mort de Sénèque.* — Cetera nominabantur : *Marseille aux pieds du roi,* 1637. — *Coriolan ou Rome délivrée ; — Relation d'un combat naval*, Aix 1638. — *Oraison funèbre de Richelieu,* Marseille 1643. — Cf. Ruffy : *Histoire de Marseille,* p. 383.

1. Videre est hunc librum a docto Patre Ingold editum : *L'Eglise de l'Oratoire Saint-Honoré,* Paris, chez Poussielgue, 1888.

Et modico in terram membra inclinantia flexu,
Omnia quae erectam monstrant ad sidera mentem,
Et (mirum !) e gelido spirans in marmore vultum
Accendit vivos spectantum in cordibus ignes.
Nam facunda silet ; nam muta lacessit imago
Humanas suadens ad caelum attollere mentes.
Nec desunt Latiaeque togae, Latiique galeri.
(*Hic nonnulla verba legi nequeunt.*) Pario Romana in marmore candet
Purpura, quam pietasque viri, doctrinaque, morum(que). Exi-
[mius etc.
Eximius candor fideique impensa fovendae
Auxilia, ac demum Ausonio spectata parenti
Quondam ille meruit virtus, Patribusque Latinis
Ascripsit meritum, vivumque ornavit honore
Fulgenti et raptum terris donavit Olympo.
Infra gesta viri, totamque ex ordine vitam
Edocet inscriptus lapis, et miracula rerum
Patravit quae multa, piae certissima vitae,
Necnon virtutum dubia haud monumenta suarum [1].

Orantum almae Parenti, quae preces fundit, apparet Berullius, qui aegrotanti bonam valetudinem promittit, et quae futura sit illius gloria, ostendit. Tunc poeta ipse Mascaroni palmam eloquentiae non dubiam pollicetur, cum dicit :

« Tunc age, et, o celeres tandem contende volatus
Quo cælum vocat, et medius superorum hominumque (Interpres)
Interpres, gemino facias commercia mundo;
Tum secreta poli divinaque oracula pandens,
Tum vitia exagitans hominum, terrasque nocentes
Concilians caelo...
... Jam Luparam ad magnam votis communibus aulae
Posceris orator; namque ex quo mellea verba

---

1. Albinus Ludovicus Millin, in suo opere: *Monuments français*, II. p. 9, Berullii nobis marmoream effigiem sic delineat : « Le tombeau du cardinal de Bérulle est de François Anguier. Le cardinal est représenté en marbre blanc ; il est à genoux, et lit dans un livre qu'un ange tient ouvert devant lui. » — Quam, non de visu, sed memoriter descripsit Baherius statuam : hanc, ut dixi, servamus in collegio Juliacensi. Erravit igitur poeta ; quippe effigies ab illo expressa non congruit cum habitu et tenore simulacri à Millin repraesentati,

Atque salutares monitus semel auribus hausit
Lodoïcus, magni ingenii miratus acumen
Eloquiumque potens ac suave, et frontis honorem,
Adstantum coetu procerum plaudente vocabit...
... En tibi gressus honestam
Panditur ad laudem. Tunc ingens se tibi famae
Materies te digna aperit. Macte, inclyte Juli,
Macte animo, mediisque aulae in penetratibus, aude
Perque sequi scelera, et magnis indicere bellum
Criminibus, sacrae et munitus Palladis armis,
Incipe adoratos populi damnare nocentes;
Incipe, nec te illis accingere fortiter armis
Addubita ! non ulla tibi nam crimina posthac
Praetendet livor ; quanquam petit ardua livor,
Gloria te tua quando *quanda supra convitia linguae*
Latrantis, supra invidiae mendacia tollit
Majorem ad meritos populi procerumque favores ;
Et jam tempus adest — nec enim procul abfore cerno —
Cum tibi delatos, vates ego gratus, honores
Rex parat, invictus juvenem qui te ipse regendis
Destinat esse decus populis morumque magistrum.

Istis e versibus, qui tam bene Virgilianam poesim redolent, nonnulla repetas quae ad Mascaronis vitam intersunt : hunc enim, quamvis juvenem, jam arbitrio suo mentes voluntatesque audientium flectentem demonstrant, cui tamen brevi homines invidi obstiterunt. Non multum temporis in umbra gallice scholae, pro sua loquendi accurata et selectiore elegantia, duraverat ; exercitationi domesticae publica mox successit in luce magnarum Ecclesiarum eloquentia, (ab anno 1666 usque ad annum 1671), quo episcopatum est provectus [1].

1. Amicitiam Mascaronis cum Baherio expressam ex epistola quadam vidimus, quam eruditissimus Abbas Blampignon in lucem protulit : « En devenant évêque je n'ai point cessé d'être prêtrè de l'Oratoire. Je me glorifierai toute cette vie de cette qualité... Parmi tant d'honnêtes gens que j'honore et que j'aime dans l'Oratoire, vous me ferez bien la justice de croire que vous n'êtes pas dans les derniers. La longueur du temps n'a rien changé dans mes sentiments à votre sujet. » *Le Correspondant*, 10 mai, 1870).

Aequum est hic exponere quid de suis Praepositis Generalibus Oratoriani senserint.

Vacheti poematibus praefixa legitur elegia nuncupatoria Joanni Francisco Senaldo, quarto Praeposito Generali, dicata. Non sine lepore, non sine gratia ibi commemòratur quid disertissimus simul et piissimus ille vir egerit :

Nullus enim eloquio tibi par, similisve, sed unus,
  Unus es eloquio par, similisque tibi.
Ingenti sequitur qui proximus intervallo
  Palmae aliis gaudet praeripuisse decus :
Nil utra tentat, neque primo aspirat honori,
  Conscius ipse sui, conscius ipse tui :
Conscius et quantus, qua vi scelera impia fando,
  Ac pestes Stygias pectore trudis agens.
Monstra ululant Erebi, miris monstra horrida formis,
  Indignans toto Tartarus ore fremit,
Idem adeo eloquio medicaris amara potenti;
  Eloquio placeant ut medicata tuo.
Tum sanctas fruges in pectoris inseris arvo
  Sedulus, excisis stirpibus ante malis :
Spemque supra felix operum, messe aetheris imples
  Horrea, quòd pares [1] legibus ipse tuis;
Quod dictis factisque doces ingentibus, et cor
  Incendit lingua vita diserta magis.
Vis pariter seris prodesse nepotibus olim,
  Scribens, qui ditent saecla futura, libros.
Miranturque stupentque omnes : neque carior ulla est,
  Quam SENALI pagina nomen habet.
Ut placet ille Senex [2] Husitidis incola terrae,
  Inclytus aerumnis, inclytus arte tua!
Aeger, egensque fimo putres miserabilis artus
  Foedabat : sanas ulcera, reddis opes :
Reddis opes magno cum foenore : nec tot amice
  Sunt bona grassantis numine rapta Dei.
Si nunc, si vitae, crudisque doloribus heros

---

1. Per 44 annos cum laude, et magno pietatis exemplo est concionatus, Lutetiae Parisiorum, in praecipuis templis, Adventus et Quadragesimae tempore; Redonibus, Burdigalae, Aquis-Sextiis et alibi, per 8 annos.

2. La *Paraphrase sur Job.* (1637).

Reddatur, per tot plaudat acerba sibi;
Divinumque librum miretur, et ulcera quondam
  Immunda, ingenio quae modo munda tuo.
Idem captivae serviliae [1] vincula menti
  Detrahis, et Dominam sceptra tenere jubes :
Contra praecipites servire Cupidinis aestus,
  Spiritui carnem, mentem, animumque Deo.
Ac sibi concilias hominem, sedasque tumultus,
  Quidquid et in tacito pectore bella ciet.
Tum memoras [2] poenas, quas, nil miserantis Averni
  Victima, fert animo vindice et hoste nocens.
Quot secum [3] rixas, quot bellaque, flagraque sentit,
  Ipse sui bellum, cruxque flagrumque suum.
Caeci ignes, caecae vivunt sub pectore plagae :
  Nutu Erebi, et saevi cuncta furoris eunt :
Estque datis angor miserum non mollis habenis,
  Se credit circum mille volare neces.
Nunc cadit immane in praeceps : super ecce tremendo
  Intonuit fulmen murmure, jamque ruit.
Non tu continuo per tot miracula rerum
  Ingenii exhauris divitis omne penus.
Insultant Furiae, Pluto unguibus imminet atris;
  Jam tenet, utque suum vindicat ante necem.
Nulla quies : tota furit illacrymabilis ira,
  Ingeminatque minis, ingeminatque flagris.
Nec minus hunc cruciant pravae mala germina mentis
  Crimina et ultoris numina laesa Dei,
Diraque tam vivis tormenta coloribus offers,
  Lector uti ante oculos rem sibi fingat agi :
Eumenidumque faces, et verbera cernere coram;
  Sunt adeo veris aemula verba malis.
Christicolam [4] posthac Regem et servire paratum :
  Bellantem, et solitum vincere bella, facis :
Inter opes inopem, locupletem rebus in arctis,
  Fastu indignantem gaudia fluxa sacro :

---

1. *L'Usage des Passions.* — (1641). Huic libro praefixit Senaldus Richellaei encomium, quod cetera alia eximia pulchritudine superat.

2. *L'homme criminel.* (1644).

3. Indicitur enim bellum... etiam aduersus te ipsum... ut intelligas in te poenam tuam. In te ex te ipso est flagellum tuum, est rixa tua tecum : sic vindicatur in rebellem contra Deum, ut ipse sit sibi bellum, qui pacem noluit habere cum Deo. (*S. August.* in *Psalm.* 75).

4. *L'homme chrétien.* (1648).

Caelum avidis inhiantem animis, coeleste sonantem,
  Majoremque viris, Caelicolisque parem.
Nec non ambrosia gentem [1] omnipotentis Olympi
  Felicem, et dulci nectare largus alis :
Diae mentis opus ; vestigia cujus adorant
  Praecones, divum qui pia facta canunt.
Porro *Monarcha* [2] tuus cum laude illustria gaudet
  Ora per, et doctas ire, redire manus.
Hic, quae dixisti preconia [3] pacis, et augur
  Delphino [4] felix omina, mitto loqui.
Nec refero, quoties laudasti nobile [5] funus,
  Quamque avidis legitur Nenia docta viris;
Mentis adhuc adyto magnae bona clausa capaci,
  Quanquam largiris plurima, plura manent.
Quid quod non ullum ventosa superbia fumum,
  Qui tantas dotes inquinet, intus alit ?
Plus aequo sed enim rigibus, cupidusque latendi,
  Egregios titulos, quos mereare, fugis;
Fulgoremque [6] Mitrae, Mitrae non pondera vitas ;
  Res tibi grata, labor; res tibi tristis honos,
Largo ideo dolor haud fictus te proluit imbre
  Nostra ubi sunt curis [7] credita fata tuis.
Flere una et, qui aderant, Patres, sed dispare causa,
  Laetantes illi, tu lacrymare dolens :
Extenuas proprias vires, multosque labori,
  Et moli jactas muneris esse pares. »

Poetis quibusdam in Oratoriam Societatem intuentibus quondam in mentem venit gloriari quod tale curriculum habuerint, et qua eximia pietate imbuti fuerint. Testis est, imprimis, Carolus Faber, Pibracii et Sanjoriani Fabrorum consanguineus nepos, qui, cum poeseos studio erat incensus, in ea excelluit [8].

---

1. *Panégyriques des saints.* (1656).
2. *Le Monarque.* (1661).
3. *Discours de la Paix.* (1661).
4. *L'Horoscope de Monseigneur le Dauphin.* (1661).
5. *Les Harangues funèbres.*
6. Episcopatum oblatum modestissime recusavit.
7. Quando electus est superior Generalis, mense Aprili 1663.
8. Quo anno natus sit et Oratorium ingressus nemo nescit. E Congregatione vero exiit, anno 1652, bellumque diuturnum cum Jesuitis exercuit. —

Unum tantum poema reperi, quod sic inscribitur :

ILLUSTRISSIMO DOMINO
NICOLAO DE NEUFVILLE,
MARCHIONI DE VILLEROY,
FRANCIÆ MARESCHALLO FORTISSIMO,
GALLIÆ LUGDUNENSIS PROREGI MERITISSIMO, CHRISTIANISSIMI REGIS JUUENTÆ MODERATORI SAPIENTISSIMO.

REVERENDISSIMI AVUNCULI SVI
ACHILLIS DE HARLAY MACLOVIENSIUM EPISCOPI, PARENTALIA,

CONGREGATIO ORATORII DOMINI JESV[1].

Achilles Harlaeus de Sancy, cujus memoria his versibus renovatur, postquam legatione Constantinopoli, apud Regem Turcarum erat functus, inierat sacerdotium et Oratoriae Societati primo cooptatus, mox episcopatum apud Maclovienses erat adeptus. Dum legationem administraverat, magnam in captivos Turcarum misericordiam adhibuerat [2]. Quorum sortem dolet simul Carolus Faber et Viri clementis humaniores animos sic laudat :

Qua Graiis pollentem Asiam disterminat oris
Bosphorus, et geminum fervens interfurit Orbem

Massiliae, rhetoricam, annis 1637 et 1638, docuit tanta cum laude ut Provinciae praeses, Comes de Alais legentem saepius libens audiret. Massiliae originem laudavit ; cujus versus eos *Bougerel* commemoravit :

« Quo magnis (ut fama canit) cum moribus omnis
Graecia se misit, Phaebumque et Pallada raptos
Classe vehens, secum tôtas portat Athenas
Ad Salios, nisi perfidiam quam linquit Achaeis.

1. In-fol. 9 pag. — In fine legitur : Vovit Carolus Faber Tolosas. — Parisiis excudebat Antonius Vitré 1647. — Nicolaus de Neufville Dominus de Villeroy, bellis Italicis sub Crequio socero clarus, mox suis auspiciis ductuque, post rem in Burgundiae comitatu praeclare gestam, Mottham expugnavit. Hic Lugdunensis etiam Provinciae Gubernator, regiae educationi praepositus, Franciae Polemarchus, et inter Galliae Pares a Rege ascitus est.

2. Vide *Jacobi Moireau Poemata*, p. 14,15 edit. 1673. Moreri affirmat mille captivos ab Harlaeo esse redemptos. Anno 1631, Maclopolensis episcopus est creatus.

Nereus, antiquis urbs est viduata Colonis,
Et possessa nouis, Turcarum regia sedes;
Pro Constantinis illic Otomanna propago
Imperat, inque locum Christi, lacrimabile dictu,
Infandus successit Arabs; haec aurea templa
Surrexere Deo : cur aras deserit hosti?
Christiadum mores, ritumque abolere cruentus
Hic tentat furor, et cultores extrahit aris
Impietas Otomanna; illos aerata triremis
Claudit, et afflictis toto natat aequore carcer
Christigenis, quorum dolor, heu! portatur ubique
Nauigio, poenamque suam, maria omnia circum
Tam miserae traxere manus; his terra dehiscens
Est domus, a ponto quoties cessatur; in omni
Horrida vincta ferunt Elemento; vertere glebas
More boum saeve coguntur; luctus ubique,
Quos pontus remo, quos terra fatigat aratro.
Huc oculos, Harlaee, tuos converte, doloris
Impatiens, oppressa ferunt quem corpora fratrum;
Agnoscis fratres, quos uno sanguine lavit
Immoriens Christus, quosque uno corpore pascit,
Et tecum unius sunt mystica membra Parentis.
« Sacræ, dixit, opes irritamenta malorum,
Materies scelerum, vos semina tetra furoris,
Quo sontes animas Christus damnabit Averno,
Vos miseris prodesse volo; dediciscite culpam;
Nam procul a turpi vos arceo criminis usu,
Designoque meae vos instrumenta salutis. »
Libertas emitur captiuae gentis, et auro
Excutitur ferrum manibus; lacrimasque dedisse
Casibus humanis facilis miseretur Achilles,
Et donat; nec enim sterilis miseratio mentem
Movit; ab immani profusa pecunia solvit
Servitio miseros, tanquam à Prætore recedant,
Harlaeus jubet esse suos; qui mille catenas
Effregit, totidem juga mille gravantia maestas
Cervices, miseris qui flagra nocentia tergis
Amovit : veteris stupuerunt proxima Trojae
Litora, tamque pium demirabantur Achillem,
Servantem antiqui nil, praeter nomen, Achillis :
Intulit ille nocens tot vincla, quot iste resolvit;
Saevit in miseros hic perfidus arte nocendi,

Alter amat miseros doctissimus arte juvandi ;
Captivos in mille rates compegerat alter ;
Hic contra viduat captivis mille carinas.

Excogitat autem poeta Harlaeum hoc solum votis petere ut, terrenis rebus abdicatis, se totum Dei mancipio devoveat, ideoque et Oratoriorum sacerdotum collegium ingrediatur. Quae enim alia Societas purius et sanctius quam Oratoria pulchrum sacerdotis nomen prae se ferat ? Audi quomodo *Faber* sui collegii imaginem confecerit :

« Fecerat impuri vesana licentia mundi
Turpe sacerdotis nomen ; tu, Christe, rebelles
Concilians populos sub tanto nomine patri,
Hoc titulo jam vilis eras, quo foeda remittis
Crimina, quo lenis patrem, quo Tartara claudis,
Quo tibi sidereae patuerunt limina portae,
Poene fuit nobis infamia magna sacerdos;
Si quis erat, cui mens levis, aut ignobile corpus,
Tanquam poenales condemnabatur ad aras.
Musa tace, Satiram non scribo, canamus Achillem;
Musa tace, tantum ne postera saecula credant
Inter avos viguisse nefas. Hoc dedecus aevi,
Hanc labem templis, anima flagrante Bervllvs
Non vltra patitur, templisque reponit honorem,
Spreta sacerdotis restaurans munia Christi :
Tam sancti vocat in curas, partemque laboris
Illustres animas, et magnum in nomen ituras ;
Judicio populi, ne quid sit vile, Sacerdos,
Nomen ab orando traxere, precantis Jesu
Ad normam geniumque suos effingere mores
Contendunt, soloque hic vivitur auspice Christo :
Servit ibi felix libertas, libera nobis
Obsequia; hic nemo fert vincula, nemo catenas
Sustinet ; hic famuli sine vinclis, absque catenis
Gens captiva sumus ; claustralia vota probamus,
Non ferimus ; *solas istic juratur in aras,*
Nil vltra, nullumque nisi pondus amoris
Sentitur, nec triste jugum est, quo sponte gravamur [1].

1. Haec conficta ita abitror esse, ut Bossuetus expressam Oratorii effigiem

Conservatis temporibus, Modestus Vinotus, nihil cum illustre praetermitteret, Patris Abelis Sanmarthani, Praepositi generalis, memoriam versibus suis retulit, cumque, dum templum Ardiliense absolvendum curaret, cecinit. In hoc enim Abel Sanmarthanus totam impendebat curam, faber architectusque haud imperitus, ut aedificia vel exstrueret, vel in pristinum statum restauraret.

Mentis ardor ad Dei gloriam incitavit eum ad templa vel ornanda vel aedificanda Andegavi, Nannetis, in collegio Juliacensi, in pago Alberti Villaris, non procul a Lutetia sito[1]. In templo Ardiliensi voluit, auctore primo Abele Servien, qui aerarii publici custos erat, tholum aedificare qui, anno 1654 inceptus, anno tantum 1695 fuit perfectus[2].

Poeta Sanmarthanum, qui architectus fuerat factus, sic alloquitur :

Perge altam largis absolvere sumptibus Aedem :
Aedem, quae fertur magis omnibus una potenti
Reginae superum placuisse. Hic Illius ara.
Hic tot prodigiis memorabilis astat Imago;
Namque olim Andinis Miles cum barbarus Arvis
Et ferro, et flammis sacras everteret arces,
Vir pius Ardilicae penetrans horrentia Silvae

---

ibi videre potuerit qualem in funebri Patris Bourgoing laudatione finxit. « *Là une sainte liberté fait un saint engagement; on obéit sans dépendre; on gouverne sans commander; toute l'autorité est dans la douceur, et le respect s'entretient sans le secours de la crainte. La charité, qui bannit la crainte opère un si grand miracle, et, sans autre joug qu'elle même, elle sait non seulement captiver, mais encore anéantir la volonté propre.* » Haec funebris contio, quae habita est 4° die decembris, non autem 22 ut ait Lachat, anno 1662, in lucem anno tantum 1778 edita est. Bossueti nepos, qui Trecensis episcopus factus erat, illam prelo subjacere noluerat, quia orator sese in Jansenistas adversarium professus erat. Anno autem 1729, Oratorianus quidam, Pater Battarel nomine, tam bene sacram doctrinam ad populum, quadragesimali tempore, habuit, ut illi meritum proemium persolvere cupiens Episcopus funebrem P. Bourgoing laudationem legendam tradiderit, data licentia ea duntaxat excerpendi quibus inesset aliqua de *Oratorio annotatio*. (*Arch. Nat.* M. 220. B).

1. Cf. Millin, II, 5.

2. Cf. *Notice historique sur le Pélerinage de N. D. des Ardiliers*, par l'abbé Choger. Paris, Poussielgue, 1886. — *Le P. de Sainte-Marthe, architecte* (Petite Bibliothèque Oratorienne, 2e série, 1).

Spelaea, et sacros quaerens habitare recessus,
Hic sanctum exegit cunctis incognitus aevum.
Qui, postquam e terris merito transmissus Olympo est,
Virginis Effigiem sacra sub Rupe reliquit.
Salmuricam haec servat cunctis a casibus Urbem.
Ceu quondam Isacidas, quos duro corde frementes
Promissa in Terra cingebant undique Turmae,
Divina innumeris protexit ab hostibus Arca.
Nec dubiis hic diva suum signavit amorem,
Prodigiis Virgo. Quin cum transferre parabant
Sacram alio Effigiem, Populo mirante, redibat,
Adque locum semper sese referebat eumdem.
Non incerta cano. Si quis tamen haec quoque, si quis
Ficta putet : cernat sacro sub Fornice fixas
Morborum exuvias, et rapta doloribus arma.
Quam bene mirifica caelestis Imagine Divae
Conspicuas aedes cultu decorare superbo,
Sanmarthane, paras!
O felix operum ! dum nempe indicis honores
Parthenidi eximios! miro dignatur amore
Te Superum Regina, et non superabile menti
Concedit robur : quo robore vivida virtus
Assurgit sublime, viamque affectat Olympo.

Res notanda sit, si qui supersint versus, quorum auctoritate nitatur morum descriptio, quales apud magnos XVII saeculi auctores miramur. Fateor primum me hunc libellum invenire a me repertum credidisse, cum in manus incidit poema quoddam cui inscribitur : « *Epigrammatum* lib. I, a Ludovico Chailly [1]. Epigrammaton liber, seu, ut quondam Martialis opus nominabatur, *spectaculorum liber*, ineunte XVII saeculo, mihi apparebat quasi jocosa vitiorum pictura quae postea Bruerus, in suis *Caractères*, tam subtili et acri stilo exarabat. Martialis enim quasi « Chronique scandaleuse », ut aiunt Nostrates, posteris reliquit :

---

1. Vindocini, 1632, in-12, 110 pag. Apud de la Saugère. — Anno 1623, ex Andegavo oriundus, Oratoriae Societatis sodalis ascitus est. Hunc Berullius in Vindocinense collegium, Rhetoricam acturus, misit : « C'est un collège que j'affectionne, aiebat vir eminentissimus, et que je voudrais mettre en réputation. »

Agnoscat mores vita legatque suos[1]!

His significat verbis quid sibi proposuerit, et postea addit:

Hominem pagina nostra sapit[2]:

hominem non qui cunctis temporibus idem permanet; sed hominem cujusdam aetatis, et Romae, sub Domitiano, viventem.

Chailly suum opusculum Caesari, duci Vindocinensi, sic dicat: « Tuis favum ex anthologia nostra cum cera sua fanis primum appendo. In gymnasio tuo conceptum hunc fetum, in tuo gymnasio debui, cui omnes sua debent, tibi tandem excludere. » — In carmine lyrico, etiam Caesari dicato, lineis librum istis melius designat :

« Caesar, aspice metra; nugas
Parum difficiles, ineruditos
Ludos, atque nihil nocentes,
Inaudacis opus novum Minervae
Per flores varios euntis; unde
Messem casta legat suaviorem.

Octodecim capita complectitur liber : *in Agricolas*; — *in Balnea*; — *in Citharoedos*; — *in Divinos*; — *in Exiguos*; — *in Fatuosos*; — *in Gulosos*; — *in Hospites*; — *in Informes*; — *in Longos*; — *in Medicos*; — *in Naufragos*; — *in Olentes*; — *in Pictores*: — *in Rapaces*; — *in Senes*; — *in Tardos*; — *in Vasa*.

Nomina et facta a Mythologia eruta suppetunt, sed plerumque telum cadit imbelle sine ictu. Nonnumquam tamen gratiam meretur poeta, si sententiam pependerit et legenti hujus suspicionem fecerit. Ex iis excerptis quae sequuntur, facile quae dicendi fuerit, in poeta, ratio, quod orationis genus nec infacetum nec insulsum, intelligi poterit.

1. VIII, 3, 20.
2. X, 4, 10.

En Alphabetum Getae Imperatoris et Gulosi :

Anser, anas, acipenser, alica, allium, alosa,
Anguilla, artocreas, agnus, achantus, aper,
Aurata, auletae, asparagi, astacus, ambrosia, alec
In mensas veniunt, quidquid et Alpha notat.
Convivam (rides)! eadem quoque litera signat,
Alpha Gulosorum, Papile, quippe Geta est.

In Roscium :

Qui dives olim Roscius, nunc esurit,
Huic mille quamvis redditus sestertium,
Pater reliquit, annus est, obiens diem ;
Hoc dissipavit coena quod scena dederat.

Cur Ebrii a potu fleant ?

Cur lacrimantes ebriis oculis putrent
Et rara manat lacrima illis per genas ?
Nescis ? Ubi large Arcus bibit, large pluit.

Cur Hospites inscribant : *à Bon Logis ?*

Quid, caupo, valvis insignia pendula figens
  Adjicis : « *Hospitibus hic bona tecta patent ?* »
Nė, madidis cum tecta viris constantia pergunt,
  Quid timeant moniti de bonitate domus.

In Lyconem :

Si quis maligna mente me sequi volet,
Cuique cordi laedere insontes erit,
Non Isis illum perdat odiis debitis.
Illi nec imprecor prava plectentem Jovem,
Quicunque caecos reddit et Deus viros,
Quicunque claudos praestat, aut hebetes facit.
Amicus illi sit, precor, medicus Lycon,
Idemque amicum curet : ultus sum probe.

Attento perspicias animo, quaeso, bellulam hanc imaginem in qua virum se omnia scire profitentem, revera nihil scientem, expressit poeta; nonnihil refert artificii illius lepidi quod in Molerio et Bruero tantam mirationem suscitat :

In *Fatuos* :

Jactabat modo Ponticus proterve
Antistes mihi mille Morionum
Se nescire nihil. Virum peritum ut
Tentarem, rogo de Angelis Deoque
Quid sentiret ? At ille se libenter
Negat theologum. Peto *Novellam*
Si quam Justinianus edidisset
Circa claustra remota Morionum :
Quinam paragraphus vetaret arma
Tradendum fatuis : an ulla stultos
Bonis lex rubra jure summoveret;
An sex regula conscientiarum [1] ?
Negat Ponticus esse se peritum
Juris, se negat esse casuistam.
Quaero quid Salomon loco hoc docere
Intendit, fatuis ubi severus
Virgas et stimulos ait mederi [2].
Negat Ponticus esse se peritum
Nodos dissolvisse Bibliorum.
Quaero quid de anima deinde Doctor [3]
Excellens statuat? — Libens volensque,
Nunquam sum quitus hanc videre, dixit,
Nec cum spiritibus meum est coire.
Infinita [4] dari putetne, quaero
Sit motusne potentia entis actus [5],

---

1. In Theologia Morali, seu in Ethica, doctores conscientiam multiplicem distinguunt : *rectam, erroneam, certam, dubiam, scrupulosam, laxam*, et cuique peculiares regulas, ad quas actus dirigentur, imponunt.

2. Cf. *Prov.* 22. 15 : *Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinae fugabit eam. — Ibid :* 29. 15. : *Virga atque correptio tribuit sapientiam.*

3. Suspicor hic de divo Thoma Aquinate agi.

4. E Psychologia transit auctor ad Physicam cujus quaestiones magni momenti tractantur : an quantitas quaedam, continua sive discreta, esse infinita potest. (Cf. Goudin, *Philosophia*, 1ª pars Physicae, art. 3. — Cf. D. Th. *Summa theol.* 1ª *p. q.* 7. *art.* 3 *et* 4.)

5. Dein motus definitur. Scholastici Aristotelis definitionem secuti erant :

Et quae lex modo carminis recusat?
Dic, inquam, generationis unum [1]
Sit principium, an duplex triplexve?
Se quid sit generatio fatetur
Non intelligere et tenere nullum. —
An privatio *quo* sit aut sit *a quo* [2]
Omnis principium rei, petebam?
Mutus substitit, indice os repressit. —
Definitio sitne quidditatis
Explanatio prior, rogabam?
Tricas se Dialecticas moratum
Nunquam, dissimulans nihil fatetur. —
Admittendane forma sit Galeni [3]
Fingebam dubitare me? — Statim sed ille
Occurens mihi : ne cita Galenum :
Nunquam ***Barbara***, ***Disamis***, ***Felapton***
Cepi, confiteor, quid esse possent. —
Veni ad Rhetoricam : statim refugit
Ignotae sibi dulce nomen Artis. —
Loquor Grammaticam : vir haeret. — Inde
Scribendi rogo de modo? Sed idem
Non chartae meminit, nigrive succi
Quo charta imbuitur regente penna. —

---

actus entis in potentia prout in potentia, ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελεχεία, ᾗ τοιούτου, κίνησίς ἐστιν. (*Arist.* Phys. III, 1, § 7.)

1. Hic agitur de veterum philosophorum sententiis, qui, in producendis corporibus, triplex principium agnoscebant : *materiam*, *privationem*, *formam*. Cf. Arist. *Nat. Auscult.* l. I. c. 6 et 7., et *Met.* l. VII, c. 5, et l. XI, c. 2, § 6.

2. Quod ad *privationem* spectabat, quaerebatur utrum *privatio* corporum esset *principium quo*, an *principium a quo*. Cf. D. Th., 1a p. 9. 46, a. 2, 2 m. = Cf. eumdem Thomam, *quaest. Disput.* de Pot., q. 3. a. 1, 16 m : « *Privatio, ait, dicitur principium esse fiendi sed non essendi.* »

3. Interrogatio sane est de 4a figura syllogismi, quae *galenica*, a *Galeno*, cui auctori vulgo tribuitur, appellatur. (Cf. Averrois *Annal.* prior., c. 8. — Cf. etiam Gratry, Log. l. III c. 1 et 3.) — Probabilius ab Eudemo et Theophrasto, Aristotelis discipulis, inventa videtur. (Cf. Barthélemy S. Hilaire, *Logique d'Aristote*, *Appendices de la 4e figure du syllogisme*, t. II). — Sal epigrammatis in eo est quod respondens confundit nomen Galeni cum barbaris vocibus, quibus logici, mnemotechnicis quibusdam versibus, varios uniuscujusque figurae modos designare solent :

BARBARA, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, *Baralipton*,
Celantes, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Frisesomorum*.
et : *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*, *Darapti*,
FELAPTON, DISAMIS, *Datisi*, *Bocardo*, *Ferison*, *etc.*

Saltem nos doceas quid sit *Trigonum?*
Me monstrum genibus tribus timendum
Loqui credidit auctor in Mathesi. —
Quid sit Pythagorae peto tabella?
Nil Arithmeticus bonus regessit.
Lunas Astrologus duas putavit,
Et signum Geminos dedit Decembri.
An recte diatessaron sonoro
Jungatur diapente? Mi roganti
Respondet nihil;....
Donec post alias professiones
Confundi omnia cum nihil docebat.

Inter auctores qui, Ludovico quarto decimo regnante, formis hominum ridicule effingendis intenderint, num multos invenire est quibus insit major salubritas in dictione, acutior sagacitas et urbanitas in dicacitate, antiquorum leporum felicior imitatio? Pagina illa veram nobis comoediam profert, quae mihi quasi origo cujusdam ludicrae scenae à Molerio scripta esse videatur. Nimium, sane, instare et urgere arbitrio potius quam veritati lenocinaretur. Quod sentiam tamen, magna legentium pace, dicam. — Omnibus quidem hic locus, copiose tractatus, animadvertendus est, quo cunctae scientiae enumeratae, in una tanquam tabula, congeruntur et aspiciuntur, ita ut unam altera excipiat, sublata tamen occasione respondendi et sententiam aperiendi. Conferas precor, cum scena quadam comediae illius cui inscribitur : « *Le Mariage* forcé », quae Sganarellum et Pancratium monstrat ; unum quidem angorem mentis explicare cupientem ; alterum vero, Sganarello non audito, omnem dicendi vim accommodantem ad miras rationes, necnon ad veras et falsas artes probandas philosophiam, medicinam, grammaticam repetentem, ita ut et ars quaeque ridendo modo perpendatur, et naturalis sensus disputationibus stolidis obscuretur. [1].

1. *Le Mariage forcé*, Sc. IV (1664). — Hoc somnium libenter somniarem : Jacobus Esprit, Oratoria societate derelicta, Principem de Conti praesidem provinciae dictae *Languedoc* creatum erat secutus. In urbe *Pézenas* florebat ab anno 1619 gymnasium Oratorianum quod libro Patris Chailly, tanquam

Cum Racinio, in salsa comaedia « *Les Plaideurs* », alius quoque Oratorianus poeta consentit, Urbanus Moirin, humaniorum literarum professor in collegio Trecopithaeno [1], qui *clarissimo nobilissimoque D. D. de la Brunetière du Plessis de Gestay Illustrissimi Parisiensium Antistitis Vicario generali et in Ecclesia Parisina Archidiacono Carmen Eucharisticon dicit.*

Parva quidem historia, quam narrat, sed studio nostro digna. Hujus pater, Andina excitus patria, ob litem dirimendam adversus Sangermanos Patres, Lutetiam venerat; causae suae, quae in judiciis versabatur, ut justae fisus, brevi magnis, quarum nulla sibi suspicio fuerat, difficultatibus impediebatur. Audi poetam qui, ut opinor, Racinium paululum redolet :

..... Hic circa lites... multa laborat
Vestigatque modos omnes ac cuncta viarum
Testamenta movet.
Technarum senior tantarum incautus et artis
Mille inter flexus stupet et sectosque resectos (que) haesitat...
Haesitat ad calles, jurisque inventa maligni
Et quem perplexo labyrinthum errore papyrus
Innectit fallax et inextricabilis astus
Plumiger artifici studio qui Daedalus orbes
Duxit inexplicitos, tenebrisque offudit opacis.

Unus fuit *Bruneteriades* qui moras celeri bonitate vinceret, funiculumque ducem expostulanti causam. Jam Victoria Moirin gaudebat. — Patribus vero Sangermanis iterum conantibus, omnia in dubium rursus veniunt. Nonne putes τοῦτο τὸ εἰδύλλιον a Bolaeo in ludicro poemate, « *Le Lutrin*, » esse confectum?

Heu ! nisi conjurata manus, nigraeque phalanges
Plebis claustricolae, et Fratrum innumerabile vulgus,
Litis inexpletum, bellisque forensibus usque
Indomitum, quatiens caudatos turba cucullos,

opere classico, utebatur. Quis non cupide Molerio, cum Principi de Conti familiaris viveret (1665-1666), librum Epigrammatum forsan obvium fuisse fingeret ?

1. Anno 1667.

Ad partes veniant turmatim, atque agmine facto
Nosque et jura premant. Hi passim limina Patrum
Liminaque, atque domos thalamosque, ipsosque frequentes
Ambitione gravi obsidunt, cinguntque corona.
Millia Lutetia quot numquam visa sub alta,
Cum Sangermanum vi multa invadere tentant
Castellum armati, scissus dum dimicat ordo;
Atque cucullatas sacrae sub maenibus arcis
Instruxere acies, ritusque et moris aviti
Degeneres socios, ac rerum vana sequentes
Communi fano deturbant : audiit omnis
Urbs late, et tonsi risit certamina Popli.
Nec mora, nec requies : altis impune Senatus
Insistunt adytis densi, atque sedentibus instant
Usque sub augustae obnixi penetralia Divae,
Si qua vafritie emungant suffragia captis
Judicibus, studio aut falsos abducere recti;
Et legi tenebras fraudemve obtrudere possint
Pervertendo, sibique alienum adscribere fundum. »

Si genus universum orationis et artem versuum faciendorum inspiciemus, facile agnoscemus Virgilium imitationi praesertim nostris poetis fuisse. Virgilium, quidam, ut Borbonius, Baherius et Jacobus Morellus, tanta sunt licentia imitati, ut ejus spoliis suum opus undique exornaverint. Poeticam artem in deliciis habuerunt, in qua, certe, doctorum aestimatorum judicio, excelluerunt, multique excelluissent magis, si minus eruditioni essent dediti.

Fatendum est ex multis, quae elegimus, carminibus nonnulla esse quae mutari et corrigi possint. Castigandae sunt nonnunquam in prosodia culpae, qualia sunt gerundia contra usum Virgilii et sinceram vocabuli rationem; qualia sunt fere omnia vocabula quae *O* sunt terminata, et fere semper a nostris correpta. Multi quoque Prudentium et recentiores poetas secuti, in nominibus quibusdam Graecorum licentia usi sunt, qui vel vi liquidae solius, vel minuendae causa minus magnae multitudinis syllabarum brevium, mediam aliquam suo jure produxerunt : usu tandem licentiae illius nimio, quam *sygmatismum* vocamus, alliciuntur. — His poematibus non est ubique nitor

idem ; haec tamen quadam elegantia et sinceritate relucent, ob quam forsan acute judicantes audientiam suam illis praebebunt. Opera quidem non summis poetis adaequanda efferunt ; sed locum non humilem habent inter viros illos qui, cum ipsum in penetrale non admissi sint, stantes in vestibulo templi, musas latinas, nec sine fructu, adoraverunt.

Inter poeseos genera, quae enarrare necesse habeo, non istud desiderandum est quod, per longum tempus, in Ecclesia viguit, id est, carmen lyricum.

A primis Ecclesiae Christianae seculis tanta fuit prisci usus vis, carmine, Christi et Sanctorum laudes celebrandi, ut, in templis, latinos hymnos et Clerus et Populus cecinerint. Sed, temporibus volventibus, exstiterunt quaedam piae Sodalitates, quibus sua erat et religio peculiaris et mens quasi paterna. Inde fit ut ab his coetibus hymni quidam sancti in honorem suorum Patronorum sint compositi et editi.

Ineunte septimo decimo seculo, magis florebat in toto orbe christiano multiplex in multiplices Sanctos cultus, quo populi, utpote sincerae fidei ignari, ita abutebantur, ut paulatim ad superstitionem laberentur. Si autem non in tantum errorem caderent, saltem paulatim notio, quam de Christo habere debebant, evanescebat, dum contra devotio in Sanctos latius patebat.

Inter diversas rationes, quae occurrunt, duas vel tres invenio, quibus confirmatur cur res sese ita habuerint. Hanc scilicet primam afferam, quod plerique communi utilitati studiosius quam ipsi Dei gloriae servire soleant, atque a Deo reposcant ut corpori praesentique vitae potius quam animo occultisque gratiis consulere velit : unde fit ut libentius ad Sanctos confugiant, apud quorum tumulos miraculose multi sanitatem recuperaverunt, et quorum opera continua subsidia, aut augendarum divitiarum, aut sanandi corporis, excepere. Fidem contra iidem non habent tam acrem vividamque ut sibi persuadeant gratias a Christo solo nobis additas, multo esse commodis anteponendas, quae tantummodo ad corpus attineant. Haec vero altera esse videtur ratio quod devotissima religio in

Sanctos multum juvetur, primum ipsorum tumulis et reliquiis quae oculis observantur, deinde memoria eorum quae per vitam fecerunt et quorum fuerunt testes multi homines qui eodem tempore vixerunt: verum una fides, quae non aeque communis est, ac credere possis, nos Christo addictos constringit et, quasi ante oculos, ponit beneficia maxima quibus illi obligamur, et nobis ostendit quam sanctus et potens sit, et quantum illi obedientes vivere et in omni re illum grato animo ac religiossisime venerari debeamus. Hanc denique tertiam rationem quis est qui rejiciat, quod Religionis reformatae sectatores, cum impedire vellent ne Sanctos homines venerarentur, inviti fecerunt ut in eos religio illorum qui catholicam fidem profitentur, excitaretur: qui quidem eo magis conati sunt suam in beatissimos illos homines pietatem ostentare, quo vehementius adversarii eorum reliquias memoriamque persecuti sint.

Ex illis viris, quos Deus Ecclesiae suae, recentioribus temporibus, dedit, ut ruinas resarcirent, quas bella ob religiosas dissentiones suscepta congesserant, atque pietatem moribus catholicorum corruptis fere oppressam excitarent, multi animorum morbo medendi rationes quaerere studuerunt. Cardinalis ille Berullius est unus ex iis qui maxime in id consilium eminuerunt : omnes autem ii, quos non fugit quidquid de ea re fecit, facile fatebuntur eum gratiam quamdam omnino praecipuam singularemque a Deo accepisse qua ceteris Christum annuntiaverit. Cujus ex scriptis cognoscimus quam praeclara eruditione atque doctrina instructus sit, qua penitus introspiceret quidquid altissimum occultissimumque esset in Illo, qui fuit simul Homo ac Deus; praeterea ex scintillis amoris Christi, quae in animos studiose legentium conjiciuntur, satis superque apparet quanto amore maximus ille vir in Christum, per totam vitam, arserit.

Fidelis ille *Verbi Incarnati minister*, ut Illius notitia et amor quasi renovarentur, atque in Ecclesia diffunderentur, juvantibus Episcopis, auctore Summo Pontifice Paulo IV, Collegium sacerdotum instituit, qui non solum iisdem vinculis, quibus ce-

teri sacerdotes et cuncti Christiani, obligarentur, sed etiam Christum cognoscendi, colendi et diligendi propria vota nuncuparent. Praeterea jussit ab illo collegio, in multas partes diviso, *Jesus* nomen geri, et partem unamquamque uni ex multis Illius mysteriis consecrari; ab illis, qui in collegium intrassent, assidue *Novum Testamentum* legi, eosdemque Jesus Christi vitae factorum praeceptorumque notitia imbui, ac, per totam vitam, conari Christi agendi rationi suam agendi rationem accommodare, Illiusque virtutes pietatemque imitari. Nempe merito judicabat, si collegii illius sacerdotes in Ecclesia participes Ordinis viros sibi asciscerent, si illius sacerdotes collegii tantum perfunderentur et notitia et amore Jesu Christi quantum cuperet, eos sine ullo dubio et locuturos et scripturos, ad Christum magis colendum diligendumque [1].

Quam Oratorianos sermonibus exemplisque erudierat praeclaram erga Christum pietatem Petrus Berullius, eam igitur illis quasi clarissimam hereditatem legavit et vitae, quam aggressuri erant, proprium caracterem. Quam quidem non alia aptiore ratione colere et propagare, et firmam filiis suis relinquere se posse putavit quam frequenti usu divini hujus *Officii* quod totum ad Christi honorem cultumque pertineret. Atque non solum illud *Officium* peculiare *Domini Jesu*, sed etiam festos dies, ex summorum Pontificum licentia, quibus hanc ipsam venerationem magis commendaret, constitui voluit. Inde illa *Domino Jesu consecrata* apud Oratorii presbyteros solemnitas, qua Mediator Dei et hominum, *Deus Homo Christus Jesus,* nulla habita ratione alicujus mysterii vel muneris, totus in se colitur. Inde etiam illius Solemnitatis, per singulos menses, ad certum diem instituta commemoratio; inde denique, propria cuique commemorationi officia, quibus Oratoriani non quaedam solum mysteria Christi vel virtutes cultu piissimo fovebant; sed quaecumque vel dixit, vel fecit, vel est passus, in terris vitam humanam agens, summa veneratione colebant.

Quam deinde religionem ut extenderet pius Institutor, pro-

1. Cf : *Oeuvres complètes de Bérulle :* édit. Migne. — Introd. fol. 76 et seq.

priam quoque celebritatem, eodem ritu, sed cultu dispari, ut decet, Beatissimae Virgini dicavit. Hunc perpetuum morem suis alumnis erga Sanctissimam Virginem praescripsit, utpote quae ad Filium suum materno ipso jure propius attingeret, et fertilissimus gratiarum fons existeret, cum, divina quadam mysteriorum communione, praecipua *Incarnationis* ministra facta esset. Itaque peculiarem quoque cultum quibusdam Sanctis Christo, speciali quodam vinculo, astrictis adhibuit. Eximio Archangelum Gabrielem obsequio prosecutus est, ut qui ad veteres Patriarchas Christi praenuntius missus, tandem ad Virginem Mariam, tanquam Incarnationis praeco, delegatus esset, et Christo, jam nato et infanti, ac postea jejunanti et resurgenti, minister adfuisset. Abraham et Job, e *vetere Testamento*, ut aiunt, beatos impensius honorari voluit praeclarissimus idem Cardinalis; unum, ut fide obsequioque, inter Christi majores, proecipuum sic et *Credentium Patrem*; alterum, ut expressam, velut ad vivum, Christi quondam passuri figuram; ambos vero, ut, Christianae Religionis antesignanos. Deinde e *Novo Testamento* utrumque Josephum delegit, quos proposuerat colendos; quia unus, Domini nutritor et custos sacraeque familiae dispensator fuerat; quia alter, mortuo jam Christo et in sepulcrum deponendo pius pollinctor astiterat. Idem ille vir Simeonem vero senem, Annamque viduam, jam non e longinquo Redemptorem nuntiantes, sed contra ulnis ac manibus complexos perenni veneratione observabat. Praeterea sanctas mulieres, Magdalenam imprimis, ob singularem amoris affectum erga Christum; Martham vero, Mariamque ejus sororem, ac Salomea, ob caritatis eidem praebita officia, eaque vel fato, vel cognatione, aut familiaritate Christo carissimas singulariter veneratus est; et, ob easdem causas, Lazarum, Marthe et Mariae fratrem, ut qui a Domino ad vitam revocatus, illius quoque resurrectionem nuntiavisset. Easdem ob causas, sui cultus partem idem dicavit Berullius aliis sanctis, ut Clementi, ob similitudinem Passionis Dominicae triginta annorum martyrio expressam; Simeoni vero Stylitae, inter coelum et terras in altissima columna constituto, ob idque divini mediatoris Jesu figu-

ram exhibenti; tum beatis Cyrillo, Incarnationis ac Divinitatis Christi, Vincentio Ferrerio, evangelicae Fidei et morum puritatis fortissimis custodibus. Usque adeo aut totum, ut ita dicam, Christum in divina sua persona, aut eumdem, quasi per partes, in sanctis quibusdam viris, velut expressis formis, ipsum ob oculos reponentibus, et ille per se quotidiana veneratione adoravit et suis venerandum assidua religione ostendit.

Quibusdam criticis forsan excursus ille parum proposito meo haereri videbitur: meo tamen judicio, necessarius erat, utpote religioni Oratoriae definiendae idoneus.

Operae igitur pretium est nunc exquirere si quae supersint poemata, quibus testibus, plane et luculenter praedicta Oratorii pietas demonstretur. Borbonius nobis prior apparet qui dignam et e pectore ingenuo expressam poesim Christo dedicatam scripsit, tanquam Libri Berullii, *De statu, majestate et magnitudine Jesu Propempticon* [1].

Pagina nil mortale sonans jamque imminet astris,
Divinosque satus et inenarrabile numen
Pandere molitur, mundi secreta latentis:
Unde animus magno Superum perculsus amore,
Exuere humanae discat contagia labis,
Per spretas et opes et per fastidia terrae
Aethera rimari, patrioque assurgere caelo.
Astupet insuetis, seque ignorare fatetur
Auctorem natura suum, quem Virgine feta
Aequaevum patri vidit prodire sub aras,
Innuptae matris sobolem, nec patre minorem,
Atque laborato civem se ascribere mundo:
Ante aevum tempusque Deum, sed tempore natum.
Ut quondam haec animis alte insedere piorum,
Cum nova lux terris exorta, Deique caleret
Sanguis adhuc; mortes non expavere, nec ora
Carnificum, torvaque truces feritate tyrannos,
Nec turpes ignominias atque horrida jussa:
Confessique Deum fortes, et corpora certae

1. Liber praelo subjectus est, anno 1622; licet a Richellaeo approbatus, qui « *hunc typis nunquam morituris, sed semper victuris mandandum* » censebat, multorum tamen morsibus violatus est.

Devovere neci. Nos post tot saecula, Christi
Degeneres tanto fundatum sanguine regnum
Perdimus : hinc Asiam jam dudum barbarus omnem
Occupat, ipsa Dei pedibus cunabula calcans,
Heu! Solyma, atque aequata solo tot templa, tot aras :
Illinc nos toto dejectos litore, ponto
Dividit et Libyae sitientibus arcet arenis,
Nec monumenta patrum, nec jam delubra, nec aedes
Ostendit: cuncta imperiis cessere prophanis,
Et super antiquae sunt alta oblivia vitae.
Vix Europa fidem colit integra, quantulus orbis
Angulus immensi! quem ferro funere cernunt
Discordes reges populique, ciensque cruenta
Praelia, pestiferis armata insania sectis.

Quales vero fuerint *Sequentiæ* ut dicitur, et hymni, qui adhibiti sunt in officiis Societatis Oratoriae peculiaribus, facile concludi potest ex scriptorum, qui eo tempore vixerunt, testimoniis. Hymni omnes Ambrosianis et rythmo et metro utuntur : *sequentiae* nec prosodiam, nec metrum, accentum vero syllabarum solum admittunt. Hymni ex strophis constant, quarum unaquaeque *dimetris iambicis* constituitur ; eorum index sic proponitur :

In festo sancti Gabrielis, nono kalendas aprilis celebrato :

O lumen index luminis, (in Vesperis)
Ardens amore seraphim, (ad Matutinum)
O sorte felix angele; (ad Laudes)

In festo nostrae Dominae de Pietate, quod celebratur feria sexta post dominicam Passionis :

Dum spargit aram sanguine (ad Vesperas, Santolii Sanmagloriani.
Illaesa te puerpera (ad Laudes) Id. Id.

In vigilia S.S. Jacobi apostoli et Christophori martyris, in Ecclesia Dominae nostrae Virtutum, nono die kalendas Augusti ;

Christi Jacobus omnium, (ad Nocturnum)
Vox aeterna Patris, deque Deo Deus (ad Laudes [1])

In S.S. Jacobi Apostoli et Christophori festo :

Apostolum cum martyre (ad Vesperas)
Quam, Christe, signasti viam (ad officium nocturnum)
Supreme quales arbiter, (ad Laudes)
Quem misit in terra Deus (ad 2as Vesperas)

In festo Beatae Mariae Virginis, Deiparae, quae dominica ultima septembris, celebratur :

Qui Patris aeterni sinus (In Vesperis)
Vatum patent oracula (ad Officium nocturnum)
Quis te canat mortalium (ad Laudes)

In festo sancti Maglorii, nono kalendas novembris, celebrato :

Grande nomen gloriosi (Pro utrisque Vesperis [2])
Quis non amet Maglorium (ad Laudes)

In solemnitate Domini Jesu sequentia canuntur :

Summe pater, filium [3] (in Ecclesia parochiali Alberti-Villaris pagi),
Aequalem Unigenitum

Qui autem poetae, ista Oratorianorum quae restant cantica, scripserint, plane ignoramus.

Doctissimus vir ille Bailletus affirmat Hymnos *Festi S. Gabrielis* a Borbonio esse compositos [4]. Difficile hanc opinionem sequar, cum istorum hymnorum versus vitiis scateant,

1. Asclepiado metro scriptus.
2. Trochaico tetrametro catalectico scriptus.
3. Videre est : *Officia proprii Congregationis Oratorii Domini Jesu ;* Parisiis, apud viduam Sebastiani Huré, 1653. — *Officia propria ecclesiae parochiali Dominae nostrae virtutum:* Parisiis, typis Petri Simon, 1756. — *Supplément aux offices propres de l'Académie royale de Juilly* — (s. l. n. d.)
4. *Vie des saints*, 29 septembre.

quae deprehendere possit Aristarchus quidam, latini sermonis haud omnino rudis. Ipse judices, precor :

O lumen index luminis,
Dei deorum nuntie,
Dic verba Verbi praevia
Verbumque Matri nuntia...

Coelestes, o archangele,
Duc ad praesepe milites,
Christi recenter editi
Hymnumque Christi persona, etc...

Mediocres sunt hi versus, prosae linguae quam carminibus propiores, nihil quod elatum sit redolentes, nihilque vatem egregium, qualis fuit Borbonius, divino spiritu vere afflatus, commemorantes. Inde fit ut Bailletum in errorem incidisse mihi liqueat.

Quanto melius sonant hymni, quos in *Solemnitate Domini Jesu* canebant Oratoriani, quorumque tale est initium :

Jesu dulcis memoria...
Jesu decus angelicum...
Jesu rex admirabilis...

In *Breviario Romano*, hodie adhuc, tres istos hymnos legere est, qui in *Festivitate Nominis Jesu* recitari consueverunt. Quis eos primus composuit? Certe, piae precationis affectus exprimunt et pietatem, imo e corde manantem erga Salvatorem, effundunt. — Per longum tempus duravit opinio, eorum auctorem fuisse sanctum Bernardum (+ 1153 [1]). Hodie vero, e criticorum sententia, cuidam abbatissae, quae ignota mansit et XII saeculo vivebat, assignari debent. Quid autem inter conscriptos Breviarii Romani hymnos et carmina ab Oratorianis transmissa intersit, notandum est.

Hymnus, qui sic incipit : *Jesu decus angelicum*, ad *Nocturnum* ab Oratorianis, ad *Laudes* a Romanae sacerdotibus Eccle-

1. Cf : Daniel, *Thesaurus hymnologicus*, 1841. I. p. 143. — W. Roth. *Lateinische Hymnen des Mittelalters :* Augsbourg, 1887.

siae recitabatur : alii strophas eas servabant, quas alteri abstulerunt :

Jesu mira suavitas,
Mira cordis jucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Urat me tua charitas

Bonum mihi diligere
Jesum, nil ultra quaerere,
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.

Cum te, Jesu, quaesiero,
Quam laetus, cum invenero !
Nil aliud desidero,
Quam felix, cum tenuero !

Te, Jesu, solo gaudeam !
Amore totus langueam !
Te corde totus ardeam !
Donec te, Jesu, videam !

Secundus hymnus, qui his verbis oritur : *Jesu, Rex admirabilis*, a *Nocturno* ad *Laudes* est translatus : prorsus idem sonat in utroque Breviario.

Tertium denique hymnum, *Jesu dulcis memoria,* in utroque Breviario ad primas *Vesperas* decantatum invenimus, sed, in nostro, sequentibus strophis auctum :

Tua, Jesu, dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio,
Recreans side taedio.

Quem amor Jesu ebriat,
Novit Jesus quid sapiat ;
Felix, Jesus quem satiat ;
Non est ultra quod cupiat.

Ista omnia nescio quid excelsi et pii spirant : omnis locus

in his ita religionis et devotionis est plenus ut jure medii aevi scriptori attribui queant.

Formulam quidem doctrinae incorruptam, sed non eumdem dilectionis simplicis atque devotae sensum spirat hymnus ille qui, ad *secundas Vesperas*, laudem Domini celebrat :

Tu natus e Deo Deus
Patrique par per omnia,
Fis, Christe, nobiscum Deus,
Nobisque par per omnia.

Imago viva te Patris
Nostros in artus colligis !
Ut nos reducas ad Deum,
En ipse fis Homo-Deus !

Autor salutis, devios
Reducis ad Patrem, Via;
Repellis umbras, Veritas;
Das, Vita, vere vivere.

Non nos relinquis orphanos;
Corpus tuum das in cibum,
Jesu, tuumque Spiritum
In membra diffundis, caput.

Quos obstetrice lancea
Tu, membra, sponsas, filios
Amore gignis in Cruce;
In omnibus sis omnia. [1]

Hic, non jam dictionum consonantiam in fine similium mirari est; tantum alliterationis et numeri certi, sine metricis

1. Ex istorum verborum usu « *obstetrice lancea,* » nonne conjectura facile augureris hunc hymnum a Santolio Sanmagloriano esse conscriptum ? Quippe qui hymnos de *quinque plagis Christi* condidit in quibus haec stropha deprehenditur :

Obstetrix penitus *lancea* perforat,
Quo nos parturiat, pectus amabile ;
Hoc quae fonte fluit, nos aqua, nos cruor,
Sanat, liberat, abluit.

Cf. Gazier : *de Santolii Victorini sacris hymnis*, fol. 60.

pedibus, severe saltem ordinatis, usus retinetur. Sed praeterea quantum distat inter carmina illa quae sanctitatis alendae supplicandique causa decantabantur. Alia devotionem ; alia vero theologicam scientiam prae se ferunt!

In eamdem mirationem, si forte non in eamdem religionem, trahent hymni quos Oratorianum Breviarium in festo S.S. Jacobi et Christophori recitandos praescribebat. Sagacissimus D. Gazier, in suo opusculo, quod inscribitur *De Santolini Victorini sacris hymnis*, sex Claudio Santolio, Magloriano — sic appellato, quia in seminario S. Maglorii domicilium constituerat — arte poetica vindicat. Nihil tamen cuiquam novum dicam, si, signis quibusdam et notis usus, salubritatem hanc ac sanitatem dictionis, quam laudat D. Gazier in supra dictis hymnis, in aliis quoque carminibus ostentem. Res enim ita se habent; adeo Santolini ingenium hymni, quos expromam, adumbrant : diligenti verborum electione, nitido et ferventi sententiarum cultu, ardenti denique mentis impetu insignes evadunt. Habes ipse tu unde judices :

« Acti procellis omnibus (duo martyres),
Sui cruoris flumine
Vehuntur, et Christo duce,
Portus beatos occupant.

Metaphora, certe, animos legentium lenociniis suis praestringit. Deinde legitur :

« Saevit tyrannus, allicit;
Temnunt minas, temnunt preces.
Deum minantem dum timent,
Deum munerantem diligunt.

Quem tortor insanus sitit,
Quem caecus effundit furor,
Amor sacerdos prodigum
Christo cruorem consecrat,

Poesis illa sententiarum gravitate, tum verborum vi et pondere, simplicem simul et magnificam se ostendit.

Nonne quoque, secundum judicium virorum rectae poeseos amantissimorum, nitidi, et puri, et graves, apparebunt hi versus, quanquam, hic et illic, verborum oppositiones forsan corripiuntur?

Supreme qualis arbiter
Tibi ministros elegis,
Tuas opes qui vilibus
Vasis amas committere!

Haec nempe plena lumine
Tu vasa frangi praecipis;
Lux inde magna rumpitur,
Ceu nube scissa, fulgur.

Totum per orbem nuntii,
Nubes velut, citi volant;
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruscant, perfluunt.

Christum sonant, versae ruunt
Arces superbae daemonum;
Circum tubis clangentibus,
Sic versa quondam moenia.

Alias, *in festo B. Mariae Virginis Deiparae*, in pangendis carminibus excogitando poetam gravem una et exprimendo vividum fuisse statues, si sequentia perlegeris:

Quod prima mater perdidit,
Mater reponis altera;
Mors ipsa nobis profuit,
Dum vita per te redditur...

Te luce sol vestit sua,
Tibique luna sternitur;
Aptata sacro vertici
Nectunt coronam sidera.

Tu dux Olympi praevia,
Clausas diu pandis fores:
Nos exules, nos advenas
Reddas paternis sedibus.

Praeter hymnos, certis prosodiae et versificationis regulis obstrictos, nobis recensendae sunt quaedam *sequentiae* [1], in quibus modulatio musica, quamvis in pedes divisa sit, prosodiae grammaticae vinculis caret, et, liberiore quadam ratione, aures, per earumdem syllabarum iterationem permulcet.

Post *Antiphonam*, quae divinarum scripturarum lectionem sequebatur, dum Episcopus ex altari ad thronum suum revertebatur, populus et cantores, psalmis decantatis quasi epilogum adjungebant; sed ita ut, pro canentium coetu, eodem temporis spatio semper interposito, singulae syllabae inter se pares essent, rhythmusque quidam imponeretur.

Notissimae sunt sequentiae, quibus inter christianae reipublicae cives, per totum orbem terrarum, fidelium mentes sociantur, quales :

Stabat Mater dolorosa, cujus auctor Giacopone da Todi, discipulus divi Francisci Assisii erat ;

Dies irae, cujus inventor Thomas de Celano, ejusdem Sancti alumnus fuit ;

Lauda, Sion, auctore Divo Thoma Aquinate ;

Veni, sancte Spiritus, auctore Roberto rege, filio Hugonis Capeti (+ 1031.)

Victimae Pascali, quae sequentia a presbytero quodam Wipo nomine, regis Conrardi secundi Capellano, edita est.

Sed his omnibus praefuit et antecessit monachus quidam Gallensis Notker nomine (+ 912) [2], qui « cantum, ut ait Durandus, per rhythmos binorum versuum, sub paribus syllabis composuit. »

Recentiores quidem illas medii aevi *sequentias* imitari conati sunt, eo tamen ingenio ut voces priscas nimium aut, e contrario, novellas usurparent; ut hispida quaedam et hiantia loquerentur; ut exquisitis figuris nec non insolitis verbis poemata

1. Pro nomine *sequentiae*, invenitur quoque *Jubilus*, *cantilena*, *cantica*, *Laus*. Cf : *Die Tropen, Prosen, und Praefations-Gesänge des feierlichen Hochamtes, im Mittelalter*, von A. Reiners, p. 17 (Luxembourg, 1884).

2. Cf. *Allgemeine Geschichte der Literatur des Mittelalters im Abendlande* von A. Ebert. Dritter Band, fol. 144 et sq.

onerarent. Ex illo dicendi genere, licet doctius germanae latinitatis regulis inserviant, velut e turbido fonte, nonnihil lutulenti et contorti profluit. Sua enim mundum novum floritas novida exornat; neque alteram aetatem animo agitare est, qua sese alacriorem et fecundiorem mens humana in lucem efferat explicetque. A saeculo autem XVII, jam hanc sibi provinciam, ut antea, quisque vel indoctus, sola religione afflante, non arripuit. Peritissima diligentia, concordes syllabarum, e certis legibus, sonos assectantur poetae, ita ut et doctos juvent et plebis religionem pietatemque foveant aut recreent.

Sufficiat aliquas strophas hic expromere, exempli gratia. Sic in *communi sequentia*, quam decantabant in *Solemnitate Domini Jesu*, legitur.

Tu lumen de lumine,
Ante diem funderis :
Tu numen de numine
Ab aeterno nasceris,
Patri par progenies.

Cum terras appenderet,
Circumducens maria,
Cum caelos expanderet,
Simul creans omnia,
Patris virtus, aderas.

Qui rubente dextra,
Judex formidabilis,
Fulguras per aethera,
Nocenti jam similis,
Nocentum poenas luis...

Mors fugit e tumulis;
Muto lingua solvitur;
Caecis lumen oculis,
Claudo gressus redditur
Haec signa potentiae.

Virtus, firmas debiles
Via, ducis devios;
Veritas, amabiles

Spargis lucis radios;
Vita, mortem destruis.

Nos resurgens suscitas,
Nos ascendens attrahis;
Et quam regnans habitas,
Exsules nos evehis
In caelestem patriam.

Veni, Jesu, propera:
Da, diruptis nubibus,
Raptos nos in aera,
Frui cum caelitibus,
Gloria qua frueris.

Fatendum est illic mirum cogitationum splendorem occurrere, necnon altissimos religionis sensus eminere. Haec eadem prodeunt in altera prosa, quam pro solemnitate *Sanctae Mariae a Virtutibus*, in Ecclesia Alberti Villaris Oratoriani usurpabant.

Ita, pro viribus, firmissimis ac solidissimis nixi fundamentis, quem peculiarem in Congregatione Oratorii cultum Berullius promoverat, eum fovebant discipuli ac pie et perenne observabant.

Mirandum sane est quod inter explorandas rei poeticae provincias quae ab Oratorianis sunt occupatae, nihil de scriptoribus comoediarum aut tragoediarum dixerim. Non peccavi tamen, si talia praetermisi quae apud Jesuitas tanto studio, ut sciunt omnes, colebantur. Perpaucae exstant tragoediae vel comoediae, quas, diebus festis, alumnis suis agendas Oratoriani scripserunt. Quidquid valeo, in hoc constat ut, post multas inquisitionnes, album fabularum in scenam inductarum proponam, his dumtaxat diariis et codicibus inspectis, quae in Bibliothecis, *Massiliae*, *Cenomanorum*, *Trecarum*, et in Bibliothecis parisiensibus reperta fuerunt [1]. Alias dixi quomodo Oratorii principes ludicris e theatro repetitis acriter et omnibus viribus sunt obluctati [2]. In genere victoria parta frui potuerunt.

---

1. Massil : A. A. 8 — Trecis. Bib. n. 317. — In Cenoman. Gymn.
2. Cf. : *Essai sur l'Histoire de l'Education*, fol. 327 et sq.

Passim tamen obedientia, qua, prohibitio tragoediarum comoediarumque, exigebatur, majores fuerunt theatralis operae cupido et amor ; non ideo tamen tanti ut fabula acta prelo subjiceretur et in publicum ederetur. Quam ob causam rarissimae ad nos pervenerunt fabulae, quas, in gymnasiis suis, Oratoriani, quondam inviti et renuentes, ante turbam, ad actum compositas exhibebant.

Si annorum seriem sequor, eo modo inscribi possunt tragoediae vel comoediae in Oratorianis theatris actae :

Trecis :	1649,	*Crispus*, tragoedia.
Vindocini :	1649,	*Balthazar*.
Trecis :	1659,	*Rosamunda*.
—	1682,	*Alexius Angelus*, Graecorum Imperator.
Tolone :	1688,	*Astyages*.
Riomi:	—	*Absalo*.
—	—	*Haeres*, drama comicum.
—	1691,	*Servius Tullius*.
—	—	*Absalo*.
Trecis :	1708,	*Demetrius*.
—	—	*Hoeres*, comoedia.
—	1709,	*Servius Tullius*.
—	—	*Xerxes*.
—	1710,	*Cicero*.
—	—	*Geta*.
—	1711,	*Alexander et Aristobulus a patre mactati* [1].
—	—	*Gratianus*.
—	1713,	*Adrastus et Atys*.
—	1714,	*Joseph a fratribus agnitus*.
—	—	*Mardochaeus*.
—	1715,	*Orcanus*, Xerxis filius.

1. Talem jam fabulam dederat *La Calprenède*, anno 1639, cum hac inscriptione : *La mort des Enfants d'Hérode*.

—	— *Ibrahim*, Imperator Turcarum.
—	1718, *Herodes.*
—	1719, *Commodus.*
—	— *Adherbal.*
—	1721, *Clotarius.*
—	1722, *Themistocles.*
—	1723, *Demetrius.*
—	1725, *Alexander Severus.*
—	1726, *Sigismundus, Burgundiae rex.*
—	1727, *Germanicus.*
—	1735, *Idomeneus de mactando filio deliberans.*
Riomi :	1737, *Brennus.*
—	— *Idomeneus.*
—	1741, *Alexander Severus.*
Cenomanis :	1756, *Arma Achillis.*

Ceterae scenicae fabulae gallico sermone compositae sunt, quamvis in comitiis Oratoriis generalibus, anno 1699 habitis, vetitum fuisset ne qua in posterum gallici carminis daretur in theatrum fabula [1].

Nonnullas indicabo praeterea, ignarus tamen temporis quo datae fuere :

« *In Thessalonicensium caedem aeternae charitati*; *duplex parricidium* dabunt in theatrum Humanistae Trecenses. *Pietas vincendo victa*, sive *Joannes Hircanus*, drama tragicum, dabitur in theatrum a secundanis Trecensibus.

Julium Caesarem, tragoediam, dabunt Humanistae Montbrisonenses.

Celebre spectaculum sistitur, Andini, cum *Adversus fortunam Cato colluctatur.*

---

1. Cf. Opusculum quod scripsit D. Carré : *La lutte du Latin et du Français, — au collège de l'Oratoire de Troyes* — Mémoires de la Société Académique de Troyes, XLVI, f. 235. — Nescio quo fato doctissimus ille vir et collega meus, iisdem usus est ac ego codicibus manuscriptis quos, in Bibliotheca Maxima, Parisiis, perlegere potui, per D. *Julii Ferry*, benevolentiam, qui quondam Universitati gallicae praefuit.

Commodum Imperatorem de Crispinae et Materni capite deliberantem dabunt Oratores Andini.

Avarum, comice illusum exhibebunt selecti Secundani Salmurienses !

Avarus senex,
Philosophus senex,
Senis avari Natus.
Senis avari Servus. (Scena extra domum senis avari).

Excaecatum Andronicum dabunt selecti Secundani (Salmurii.)

In Bibliotheca Maxima, Lutetiae Parisiorum, reperiuntur ;

Momus [1] carmine et latino et gallico scriptus;

Horatius parricida, Romanorum precibus liberatur, (eodem modo scriptus);

Mors Hannibalis, drama tragicum ;

Daniel ;

Torismundus ;

Scolastici Vindemiatores (latine).

Legitur quoque drama tragicum a P. Baherio compositum : *Pueri martyres* [1], et *Livinus*, drama comicum [3].

Pater Houbigant, anno 1714, cum in Juliacensi collegio eloquentiae magister erat, versibus iambicis Sophoclis *Electram* transtulerat, quam deinde Massiliae, anno 1715, docuit [4].

Fatendum est dramaticam musam apud Oratorianos multo jejuniorem ac timidiorem fuisse quam apud Jesuitas, qui voluptate poetica magis attrahebantur.

Ubi sunt, inter Oratoriae Societatis sacerdotes, poetae illi eminentes et feracissimi qui Jesuiticum theatrum tam bene productis fabulis illustrarunt ! *Ragoneau*, *Buchanamus*, *Mamburnus*, *Cossartius*, *Lignerius*, *Franciscus* Le *Jay*, *Poroeus*, *Com-*

1. — B. N. F. G. : 24,719.
2. — B. N. F. G. : 25,442.
3. — B. N. F. G. : 22,95.
4. *Magasin Encyclopédique*, III, 1806.

mirius, *Ruaeus*, totque alii his neque versificationis arte neque dotibus ingenii impares[1] ?

Hoc tamen animadvertendum est quod e fabulis Oratorianis pleraeque ad historiam romanam spectent. Si causam inquisiveris, profecto hanc nactus eris in hoc argumento, quod in quadam gymnasii Cenomanensis exercitatione approbatur[2] : « Historia Romana Gallicum virum detinere potissimum debet, qui praecipuum indolis nativae signum in Romanorum indole deprehendit, scilicet illam patriae caritatem de qua hodie cum iis disputamus. »

1. *Cf.* : *Histoire de la ville et de tout le diocèse de Paris*, par Lebeuf, édit. Cocheris, II, fol. 143 et seq. — Ernest Boysse : *Le Théâtre des Jésuites*, Paris, 1880.

2. Anno 1780 : « Cette histoire doit surtout attacher le Français qui retrouve le plus noble trait de son caractère dans celui des Romains ; je parle de ce patriotisme dont nous leur disputons la gloire. » (*Archives civiles du Mans*, D. 2. 1.)

CONCLUDITUR

Etiam inter medii aevii caligines, Camena latina in magno honore est habita. Monachi, Abbatissae ipsae, ut Hroswitha Gandershmensis, vates notissimos imitantes, carmine seu christianos explicabant annales, seu res a Christo gestas referebant, seu martyrum victorias, sanctorum laudes poetico dicendi genere exornabant. Quis Damasium, Prosperum, Apollinarem, Sidonium, Avitum Viennensem, Prudentium, Paulinum, Venantium, Fortunatum, Theodulphum, Sedulium non recordatur? Horatianis metris utuntur : Virgilianam poesim usurpant, ita ut musa, quae ad populares usus accommodata in deterius ruerat, purior in coenobiis et integrior floreret, germanaque, quantum poterat, lingua gloriaretur; quam verum est non tam certos sibi fines terminosque constituisse, extra quos egredi non posset, ut puerilibus indulgeret ludis et circa res aut theologicas, aut philosophicas, sive etiam mathematicas versaretur [1].

Cum tandem, quintodecimo saeculo ineunte, praelectionum et exercitationum literariarum effloruit renovatio, in Italia primum ad versuum latinorum studium sese dederunt doctissimi viri, omnibus modis conantes ut sinceram et non fucatam poesim colerent. Ex Italia in Germaniam primum, deinde in Galliam transvecta est latini poematis commendatio. Valla scribebat [2] :

---

1. *Allgemeine Geschichte der Literatur des Mittelalters im Abendlande*, von Adolf. Ebert. (Tertium volumen hujus magnifici operis nuper editum est. —) Simson : *Poetae latini aevi Carolini*.

2. II. lib. *Elegantiarum*.

« Ego pro lege accipio quidquid magnis placuit auctoribus. » Ut *Ciceroniani*, ita et *Virgiliani* propagabantur. Statim ut gymnasia erecta fuerunt, professores, scientiis antiquis imbuti, sua eruditione totam grammaticam et eloquentiam et poesim ad puritatem suam restituere nixi sunt. A Reuchlinio, scripta anno 1606, prodibat « *Ars versificandi et carminum condendorum* », cum eo animo composita, ut scholastici, vera poeseos scientia, barbarie latinitatis penitus eradicata, instituerentur. Ante Reuchlinium, ipse Melanchton latinam versificationem, in schola Norembergensi, commendabat tanquam « alumnam eloquentiae ». Apud Jesuitas [1], quibus nihil prius fuit quam de juventute optime mereri publicisque Ecclesiae commodis servire, incitamenti illud genus viguit. Professores in eam rem maxime incumbere debebant, ut compositiones, quas reddebant in hebdomada saepius, Ciceronis in prosa oratione, Virgiliique in carmine, phrasim redolerent; et simul quoque tironibus exercitium simplicius erat, ex quo ad superiores scholas assurgerent. — Universitas ipsa gallica latinos versus suis discipulis colendos excepit, teste Edmundo Richerio, qui Academiae Parisiensis magistros sic alloquitur : « Ideo monemus ut ad versuum componendorum facilitatem poetas laudatos Ovidium, Martialem, Horatium memoriter ediscant et ad poeticae compositionis subsidium *Textoris* epithetis non tam suo quam praeceptorum ductu et arbitrio utantur [2]. »

Omnes sciunt quam fideliter consilium istud Universitatis doctores secuti sint. Satis est enim proferre *Borbonium, Mercerium*, *Petrum Hallaeum*, *Fragerium*, *Monetam*, *Lengletum*, *Hersanum*, *Godellum*, *Rollinum*, *Coffinum*, *Ludovicum Creverium*, *Gibertum*, *Petrum Billetum* [3].

Dum autem ars poetica, cum in Jesuiticis gymnasiis, tum in Universitatis collegiis, sic vigebat, quia prae caeteris curis,

---

1. Cf. : *Monumenta Germanicae paedagogica ; Ratio studiorum et Institutiones scholasticae societatis Jesu ;* collectae a G. M. Pachtler S. J. — Berolini, Hofman, 1887.

2. *Obstetrix animorum*, p. 93.

3. *Selecta Carmina*, Paris, 1727. — *Recentiores poetae selectae*, Lugduni Batavorum (1743).

servabatur scribendi in latino sermone facultas, Oratoriae Societatis presbyteri poesim latinam minore quam sui aemuli habuerunt aestimatione. Non quod latinae linguae vim et pulchritudinem non intellexerint; argumento sint illa Thomassini de Condreno verba : « Nec hic pigebit commemorasse, quod olim vir Condrenus, Gregis et ipse olim nostri praepositus, dignus plane qui Berrullio succederet; quod vir, inquam, ille mihi, dum humaniorum literarum scholae praeessem, insusurravit, nulli non jucundissimam et familiarem esse debere, nulli fructuosissimam esse Ciceronis lectionem. Addidit porro et eam se spem clam in sinu alere, perlegendi adhuc, antequam vita abiret, quidquid ille scripsisset. Erat autem Condrenus caelo maturus, ut qui altero post anno vivere desierit. Erat illi citra dubium persuasum, mihique volebat esse, tanto plus aut minus profecisse viros literatos, quanto plus aut minus illos delectaverit Cicero. [1] » Minus tamen Oratoriani latinae Camenae animum contulerunt. Quod ad theatrales ludos attingebat, quintus generalis Conventus hoc sanxerat edictum : « Tragoediarum et Comoediarum, quas nonnisi latinas ac rarissimas esse oportet, argumentum sacrum sit ac pium, neque quicquam actibus interponatur, quod latinum sit et docorum, nec persona ulla muliebris, vel habitus introducatur. » Si quomodo in Gymnasiis alumni edocendi sint iidem conventus generales, auctore Patre Joanne Morino, perpendunt, solemniter « sanciunt ut mentem efformandam et animum potius quam orationem et stilum sibi proponant magistri; non enim eo solum spectant, in humaniorum literarum scholis, exercitationes, ut discipuli latinam linguam perdiscant. » [2]

Nonnullis post annis, Du Guet, vir acutissimi judicii, tirunculo cuidam in magisterio suadebat ut versus latinè scribendos non multum curaret : « Magnum tempus, aiebat, vanum, in collegiis, versibus faciendis teritur, et natura nos hac facilitate jactamus. Attamen vix bene latinum sermonem callemus ; vix bene no-

---

1. *Praefatio Dogmatum theologicorum :* tomus primus, *De Deo*, *Deique proprietatibus.*

2. Cf. *Mémoire sur le règlement des Etudes*, par Antoine Arnault (Édit. Gazier, 1886, p. 23.)

vimus quid sit tenera et subtilis poesis. Longe igitur praestat paucos tantum versus scribere, nec unquam, saltem ab initio, illos e suo sensu fundere, sed potius Virgilianos versus, eosdemque pulcherrimos distrahere, ac dein paribus numeris has phrases optime latino sermone scriptas transferre. [1] »

Consentit, illa in exercitatione, cum Joanne Sturmio, qui, Argentorati, anno 1538, literarum ludum aperiebat : « Horatiana carmina, inquit, commutare non verbis, sed carminum generibus, laudabile est et fructuosum. » [2]

Arnaldus non aliter sentit. — « Saepius enim fit ut tempus inutile teratur ab alumnis, cum iis versus domi faciendi praescribuntur. Fere enim ex septuaginta aut octoginta invenire est duos vel tres qui quidquam e materia trahant, cum ceteri operam et dies perdant. » [3]

---

1. *Entretiens sur les sciences,* p. 170. « On perd ordinairement beaucoup de temps à faire des vers dans les collèges, et l'on se pique aisément d'en savoir faire. Cependant à peine sait-on du latin et à peine sait-on ce que c'est qu'une poésie fine et délicate. Il vaut bien mieux ne faire que peu de vers et ne les jamais faire de son crû dans le commencement ; mais de déranger certain nombre de vers de Virgile et des plus beaux, et ensuite de tâcher de mettre ce latin qui est excellent, en un nombre de vers égal. »

2. *De literarum ludis recte aperiendis,* 1539.

3. « C'est ordinairement un temps perdu que de leur donner des vers à composer au logis. De soixante-dix ou quatre-vingts écoliers, il y en peut avoir deux ou trois de qui on arrache quelque chose. Le reste se morfond ou se tourmente pour ne rien faire qui vaille. On peut prescrire une matière à ceux qui montrent du goût et de la facilité, et exercer les autres selon leur portée. On peut cependant leur proposer à tous de composer sur-le-champ une petite pièce de vers dont on leur donne le sujet. Liberté à chacun de dire comment il tournerait la matière de chaque vers. Il part alors une épithète d'un coin, il en vient une plus juste d'un autre ; avec la permission de parler, qu'on demande et qu'on obtient par un signe seulement pour éviter la confusion, on juge, on critique, on rend raison de son choix. Ceux qui ont le moins de feu s'évertuent et tous essaient au moins de se distinguer : ce qui fait un exercice des plus propres à leur plaire et à former du moins ceux qui ont quelque talent. (*Mémoire*, jam citat., p. 11). — Adry his verbis nonnihil addit : « Il n'y a pas de doute que les maîtres ne soient responsables devant Dieu de la perte du temps des enfants. On en voit tous les jours passer une journée entière à chercher une épithète qui n'est souvent pas la bonne : on ne fait pas des poètes par force. » Cf. Claude Fleury : *Traité du Choix et de la Méthode des Etudes,* Paris, 1786, p. 246 : « — Je ne parle point ici des vers latins : si l'on en fait, ce sera comme un exercice de grammaire, pour apprendre la quantité et pour avoir plus de mots à choisir, en composant, et je ne sais si ce profit vaut la peine que donnent les vers. »

His monitis paruerunt Oratoriani. Versibus latinis parvum dabant locum in classicis exercitationibus; magistri, qui hac arte excelluerunt, nonnisi raro et inviti poemata sua ediderunt, et, quae publica fecerunt, ut Jacobus Morellus, « ea non doctis scripta dicebant, sed tironibus et poeticae candidatis, quibus forte an erit ut nonnulla varietate placere possint. » — Gravitatem, cum latinos versus adhiberent, semper retinebant, et ludum literarium in utilitatem vertebant, semper Horatii praecepto inservientes :

Aut prodesse volunt, aut delectare poetae.

Nostri vero, utriusque laudis cupidissimi, quanquam germanae latinitatis ac rectae poeseos amantissimi, si versus latinos composuerunt, historiae scientiaeque profuerunt, et ita patriae amorem in juvenum mentes accenderunt. — Inde fit ut Oratoriani, qui gallicae linguae elegantias callebant, in usu versuum latinorum nescio quadam prudentia praediti, sicut et in doctrinis et in historia docendis, omnes magistros suae aetatis scholares, auctoritate et rerum paedagogicarum arte, antecesserint.

Nonne igitur grato animo Universitas Gallica, quae ab istiusmodi lusoriis exercitiis, nec immerito, hodie abhorret, in Oratorii gallici presbyteros sese convertatur oportet, utpote suae paedagogiae, saltem quae ad praecipuas facultates attinet, duces, eosque auctores venerabunda salutet?

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. vi Idus mart. ann. MDCCCLXXXVIII,
Facultatis Literarum in Academia Parisiensi decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur:
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

APPENDIX

CATALOGUS POETARUM LATINORUM

E

CONGREGATIONE ORATORII GALLICI[1].

ARMINOT, 1640-1658.

Soteria Xtiana, Troyes, in-4 : 1646.

Theo-demono-marchia : Sive Tartara a Xto debellata : Troyes, chez Jacquart, in-4, 1646.

De elocutione sive de Tropis et figuris libellus, in-16, Nantes, 1651, chez la veuve Pierre Dorion.

BAHERIUS (Joannes) 1636-1707.

In Tabellas excellentissimi pictoris J. de Werner ad nobilem et eximium virum Eustachium Quinot : Troyes, Jacquart. 1660, in-4.

Fuquetus in Vinculis.

Pueri martyres (Ms.)

THOMAS BERTHOEUS (BERTHIER)

* *De Angelis poeticum nonpoeticum Carmen epicum*, Saumur, 1646 : 36 p. in-4.

BERTHALDUS (*Petrus*) 1600-1681.

Casallum bis liberatum; Paris, Libert, 1631.

Trecae. Ad urbem, Clerum, Senatum, Populumque Trecensem. Trecis. apud Natalem Moreau, quidicitur le Coq, sub signo galli. M. D. C. XXXI.

---

1. Carmina quae notantur * in Parisiensibus Bibliothecis reperiri nequiverunt.

BOILLOT, 1668-1726.
Passeres. in *Mém.* de Littérature, T. VIII, p. 371.

BONNEAU (Joannes, Franciscus). 1663. * *Nobilissimo viro Barthelemy de Vias, Regi a consiliis , aetatis hujus inter poetas principi, ingeniosos musorum lusus, organa pneumatica D. D.* Massiliae, apud Cl. Garcin, 1649.

BORBONIUS (Nicolaus) 1574-1644.
Poematia exposita : Parisiis ap. de Sara, 1630.

CAPPÉ (Joannes) 1712.
* *Vita peccatoris*

CHABROL (Annetius.)
* *Illustrissimo Ecclesiae principi Camillo de Neufville archiepiscopo et comiti, Lugduni galliarum primati et Galliae Lugdunensis proregi —— Annetius Chabrol cong. orat. de Jesu sacerdos, in collegio Montbrisonensi*: *Lugduni, apud Guill.* Barbier, 1669. 20 p. in 4.

DE CHAILLY (Ludovic) *Epigrammatum liber primus* : Vendôme, 1632 : in-12 de 110 pages chez de la Saugère. *Carminum lib. alter in victorias Ludovici Just.* etc. *ad cardinalem Richelieu,* Cenomanis, apud Gervasium Olivier, 1629.

CHARTIER (Petrus)
* *Poemata latina*, Cadomi, anno 1664, corona dignata.

DE CLERCQ (Andreas)
Sylvarum libri duo : Vindocini, 1637, apud Seb. Hyp.

DELFATIUS (H.)
Selectae fabulae e Gallico D. de la Fontaine latine redditae : Vindocini, 1695.

FABER (Carolus)
* *Designato Massiliae episcop. Eustachio Gault Congr. Orat. presbytero, oestrum poeticum,* 8 pag. in-4. Caractères italiques, signé : Carolus J. Sanjorianus, Fabrorum consanguineus nepos... cecini Cenomanis, Calendis Martiis, 1640.
* *Designatus Massiliae spiscopus Joann. Baptist. Gault Cong. or. presbyter fratri suo Eustachio ejusdem cong. in eodem episcopatu successor. Sylva;* in-4, cecini Cenomanis, Calendas Maii 1640.

* *Joanni de Berthier senatus tolosani summo praesidi, dolor ex obitu Caroli de Condren, Cong. Or. praepositi generalis;* avec une épître dédiée en prose au même. 9 pg. in-4... Tolosae:

Illustrissimo duci Nicolas de Neufville, Marchioni de Villeroy Franciae Marescallo fortissimo, Galliae Lugdunensis proregi meritissimo, Xissimi Regis juventae moderatori sapientissimi reverendissimi avunculi sui Achillis de Harlay Maclovensium episcopi parentalia, Congregatio oratorii J.C. in-fol. à la fin: vovit Carolus faber Tolosas, et ensuite, Parisiis excudebat Antonius Vitré, 1647.

Guy de Fours 1658-1678.

Ad serenissimam principem Armandam à Lotharingia regiae abbatiae Suessionensis antistitem dignissimam : ode, 5 p. in-4, 1683, à Soissons, chez Mauroye.

Feraud, né le 21 février 1672, entré en 1688; à Marseille, de 1695 à 1702, puis préfet des classes.

* *Innocentii XII summi Pontificis mors, seu vindex Confucius in infernis*: Marseille, in-12, 1700.

* *Serenissimis duci Burgundiae et duci Biturigium Massiliam adeuntibus in collegio presbit. Orat. D. Jesu Festi plausus* Martel, 1701, in-4.

Florus (Petrus) 1660.

* *Cadomi vota ad ill. Baiocensium antistitem Franc. de Nemon carmen.* 12 p. Caen : chez Eleazar Mangeaut, 13 Mai 1661.

Giraud (J. Bapt.) 1702-1776. *Fabulae selectae a gallico in latinum sermonem conversae;* Rothomagi, ap. Machuel, 1765.

Grozellier (Nicolaus) 1692-1778.

* *Prosa in Resurrectionem Domini.*

Lebaut * *Itinerarium Paschale* : 1658, in-4. Paris.

Auspicatissimo principis reditui serenissimi et invictissimi Henrici d'Orléans, ducis de Longueville academia Deppensis adblanditur. — Reverendissimi ac sapientissimi patris Francisci Bourgoing, Or. D. J. generalis inauguratio.

Le Febvre (Stephanus) 1653-1690.

* *Odarum libri quatuor,* Nannetis.

Claude Lion 1625-1704.

Poemata succisiva.
Massiliae, 1690, in-8.

Marcel (Guillaume) de Bayeux, entré en 1634, sorti en 1643.
* *Carmelus an ingratus...* 1655 200 vers.
Soloni Francico... 1655 100 et quelques vers.
Guill. de Brébeuf tumulus, 1662.

Joannes Meré (1629-1688.)
G. Luzel Professori Humanitatis aquitanae numerosé somnianti Vigilia poetica.

Moireau (Jacobus)
Poemata: in-12, Parisiis, apud P. Le Petit, 1673.

Morin (Urbain)
Clarissimo nobilissimoque de la Brunetière du Plessis de Gestay, illustrissimi Parisiensium antistitis vicario generali carmen Eucharisticon dicit Urbanus Morin humaniorum literarum professor in collegio Trecopithocano. (23 p. in-4, 1667)
* *Pro solemnibus scholarum Clementinarum auspiciis anno* 1667 : carmen de Ovo, 11 pages in-fol.

Rainssant (Sébastien)
Celsissimo principi Caesari duci de Vendosme panegyricus auctore Sebastiano R. Cong. O. D. J. sacerdote et in colleg. Vind. eloquentiae professore : Parisiis, apud Joannem Henault (1662, in-fol.)

Tissard (Petrus) 1666-1740 :
Vindicta infelix seu irritum Anglorum in Maclopolim consilium.
Musae Siculae.
Prosopopoeia pacis quaerentis.
Fabulae selectae e Gallico D. de la Fontaine latine redditae, variaque poemata tum gallica latine, tum latina gallice reddita. In usum studiosae juventutis : Antuerpiae, apud Bonnefoy, 1738, in-12, de 238 p.

Tixerius :
Santolio Victorino (p. p. 224, dans les Œuvres de M. de Santeui publiées par Pinel de la Martelière : Paris, 1698, chez Simon Bernard.

Toutblanc (Marcus) 1658.
Celsissimo Principi Francisco de Vendosme, Duci de Beaufort, Soteria : ex typis Séb. Hip. Vindocini, 1658.

VACHET (Petrus Joseph), 1655.
Poemata, Saumur, 1764, in-8.
VIEL (Joann.)
Telemachis : chez Didot, 1808.

VOISIN (Joannes Franciscus) 1775.
* *Prosae in resurrectionem Domini*, Parisiis, 1742 in-16.
* *Lodoice, carmen pastorale.*

ERRATA

Pag. 4, lin. 18, *lege*, viri, *pro* viris.
— 5, — 32, *lege*, earum rerum, *pro* ea.
— 12, — 20, *lege*, limatius, *pro* limitius.
— 27, — 30, *lege*, litora, *pro* littora.
— 28, — 23, *lege*, optat se ab.
— 40, — 9, *lege*, sistat, *pro* sistit.
— 43, — 20, *lege*, 1336, *pro* 1636.
— 45, — 8, *lege*, Romam, *pro*, Roman.
— id. — 9, *lege*, invicto, *pro* invictos.
— 47, — 2, *lege*, Stati, *pro* stati.
— id. — 27, *lege*, Lentiadem, *pro* Pentiadem.
— 52, — 18, *suae* deleatur.
— 71, — 15, *quanda* deleatur.
— id. — 27, *pro* gallice scholae, *lege*, privatae scholae.
— id. — 30, *lege*, quo ad episcopatum.
— 73, — 4, *lege*, servilia, *pro* serviliae.
— 90, — 30, *lege*, Marthae, *pro* Marthe.
— 79, — 27, *invenire* deleatur.
— 104, — 20, *lege* 2, *pro* 1.

Virgulae deleantur, p. 8, l. 29 — p. 12, l. 32 — p. 18, l. 40, — p. 27, l. 27, — p. 34, l. 2 — p. 55, l. 12. Ubicumque legendum est, *ae*, pro æ, in scribendo quoque nomine.

INDEX

Imprimerie Générale de Châtillon-sur-Seine. — A. PICHAT.

BARBIER (J. C.), premier président de la cour de cassation. — **Les deux Arts poétiques d'Horace et de Boileau**, avec traduction en vers et en prose. In-12 . . . . 3 »
Jolie édition imprimée en caractères elzéviriens.

BIZOS (G.), doyen de la faculté des lettres à Aix. — **Etude sur la vie et les œuvres de Jean de Mairet**. 1 vol. in-8 avec un portrait . . . . 6 »

BURON (L.-L.), professeur, officier d'académie, etc. — **Histoire abrégée des principales littératures de l'Europe ancienne et moderne**, avec tableaux et sommaires. Deuxième édition. 1 vol. in-12. . . . . 3 50
Ouvrage couronné par la Société pour l'instruction élémentaire, recommandé pour les distributions de prix, etc.

— **Simples essais.** Poésies morales dédiées de la jeunesse. In-12 . . . . 1 75

DEJOB (Ch.), docteur ès lettres, professeur de rhétorique au collège Stanislas. — **De Renato Rapino.** 8° 3 50

FABRE (l'abbé A.), docteur ès lettres. — **De la correspondance de Fléchier avec Mme Des Houlières et sa fille.** 1 vol. in-8 . . . . 6 »

— **La Jeunesse de Fléchier.** 2 vol. 8° . . . . 12 »
Ouvrage couronné par l'Académie française.

— **Etudes littéraires sur le XVII^e^ siècle. Les Ennemis de Chapelain.** 1888. 1 beau vol. 8° . . . . 10 »

— **La Satyre des Satyres** (par Ch. Cotin), avec notes et commentaire publié d'après l'édition de la bibliothèque de l'Arsenal (en 1666). Brochure grand 8° de 24 pages . . . . 3 »
Tiré à 100 exemplaires numérotés.

FIALON (Eugène), professeur à la Faculté des lettres de Grenoble. — **Etude littéraire sur saint Basile.** 1861. In-8 . . . . 3 »

— **Etude historique et littéraire sur saint Basile**, suivie de l'Hexaméron traduit en français. Deuxième édition. 1869. 1 beau vol. in-8 . . . . 7 »
Ouvrage couronné par l'Académie française.

— **Saint Athanase**, étude littéraire suivie de l'apologie à l'empereur Constance et de l'apologie de sa fuite, traduites en français. 1777. 1 vol. in-8 . . . 6 »

GAUTHIER (Jules). — **Histoire de Marie Stuart.** Deuxième édition, revue, corrigée et augmentée. 2 beaux vol. in-8, sur papier vélin . . . . 16 »
Ouvrage auquel l'Académie française a décerné le prix Bordin.

GAZIER (A.) — **De Santolini Victorini sacris hymnis.** 8° . . . . 3 »

JOLY (A.), doyen de la Faculté des lettres de Caen. — **Histoire de deux fables de Lafontaine** (*les Animaux malades de la peste; la Laitière et le pot au lait*), leurs origines et leurs pérégrinations. In-8 . . . . 3 »

LOISE (Ferd.). — **Histoire de la poésie en rapport avec la civilisation**, tomes I et II. 2 vol. 8° . . . . 9 »
On vend : *T. I : L'Antiquité* (*monde oriental, monde classique, monde chrétien*) 1 vol. . . . . 4 »
— *T. II : La France, depuis l'origine jusqu'à la fin du XVIII^e^ siècle*, 1 vol. 5 »

LOISEAU (Arthur). — **Histoire de la littérature portugaise** *depuis ses origines jusqu'à nos jours*. 1 vol. . . . . 4 »
Ouvrage couronné.

— **Histoire de la langue française**, *ses origines et son développement jusqu'à la fin du XVI^e^ siècle*. 2^e^ éd. 1 vol. 4 50
Ouvrage couronné (médaille d'or).

LEHANNEUR (L.). — **De Pubilii Papinii Statii Aita et operibus.** In-8 . 4 »

— **Mascaron**, d'après des documents inédits. 1 vol. in-8 . . . . 7 50

PLUZANSKI (E.). — **Essai sur la philosophie de Duns Scot.** 1 vol. . . 5 »

MALEBRANCHE. —**Traité de morale**, réimprimé d'après l'édition de 1707, avec les variantes des éditions de 1684 et 1697, et avec une introduction et des notes par Henri Joli, professeur suppléant à la Faculté des lettres de Paris. 1 beau vol. in-18 jésus 3 50

SIDOINE APOLLINAIRE. — Ses œuvres (texte latin), publiées pour la première fois, dans l'ordre chronologique d'après les manuscrits de la bibliothèque nationale, accompagnées de notes des divers commentateurs, précédées d'une introduction contenant une Etude sur Sidoine Apollinaire ; avec des dissertations sur sa langue, la chronologie de ses œuvres, les éditions et les manuscrits, par M. Eugène Baret, inspecteur général de l'instruction publique, 1 beau vol. grand in-8, sur papier vélin . . . . 16 »

Imprimerie générale de Châtillon-sur-Seine. — A. Pichat.